4) stema 14) Opificium

quod esset ad H. 3.53′ Vraniburgi, et tunc inveni 4°. 50′. 47″ ♐. Atqui est mihi hoc tempore aequatio temporis composita ex omnibus causis 11 minuta addenda aequali, hic ergo subtrahenda ab apparenti, quia prodidisti tu H. 3.45′ tempus apparens. Ergo quantum de horario respondet minutis 11, rursum esset auferendum, ut sit 4°. 45′ locus ☽ Eclipticus. Si quid aliud Literis prioribus perscriptum est, excuset me intricatio ista multiplicum causarum. Taedet enim authorem calculi respicere identidem ad suum praeceptum; indulgens vero suae memoriae facile errat praesertim in minimis, quae scit non pertinere ad certitudinem Loci Lunae, cum vel observationes vel fundamenta alia adhuc plus in dubium vocent. Tu vero memineris corpus Lunae occupare 32 circiter minuta; itaque si vel 12 minutis aberraret calculus, quid hoc in directione? Et revoco in memoriam ea, quae scripsi prioribus: effectus directionum non sunt certitudinis Mathematicae, cum de ipsis modis directionum adhuc certetur. Si directionis tempus certum, soleo ego de Lunae appulsu | catarrhos praedicere. Quorsum vero perveniat ascendens anno 1619, qui est 36 a nativitate, sic ego computo. Locum Solis, qui fuit exactis diebus 36 a natalitio die cum hora 9. 45′ natalitia, immitto in tabulam domorum, ac si thema Natalitium erigerem ad diem 29 Aprilis. Ergo quod prodit medium coeli et ascendens: sunt loca ad quae perveniunt medium coeli et ascendens radiis. Sic et locus ☉ post dies 36 est locus directionis ☉ Natalitii et quantus est motus Solis per dies 36 tantus etiam arcus additur loco ☽ pro directione ☽ natalitiae. Cum itaque ☉ post dies 36, veniat ad 29. 15′ ♈ fere, Luna ad 10 ¼° ♑, veniet medium Coeli ad ☌ ☉ et ☌ ♀ circiter, Asc: ad 13¼° ♐ circiter; supersunt igitur aliquot anni ad directionem ad corpus ☽. Nam Latitudo ☽ australis est, oriens cum posterioribus gradibus illo, in quo est secundum Eclipticam. Directio medii coeli sane quam splendida est ad annum 1620, 1621. De Lunae directione ut significatricis adhuc haereo, utrum scilicet illa hoc modo dirigenda sit, qui tamen, si ullus ex usitatis, maxime est verisimilis, eoque ad minimum caeteris praeferendus, hactenus notis, quippe naturae vicinior. Esto tamen: transivit igitur □ ☿, transivit anno 1618 ✕ ♃, imminet ☌ ♀. Quaeris quid ista significent? Non facile dicerem, si solum mihi thema notum esset: sed quia nova mihi lux, nova sidera terrestria sunt orta ex tuae prosapiae descriptione exque studiis adolescentiae, videor clarius videre ferorque aliqua fiducia, ut metuam ne in temeritatem impingam. Dedecus tamen ex frustratu apud Te, rerum divinarum humanarumque peritum, non sustinebo; nosti, quid coniecturae sint, quae illis excusatio, quae laus, si etiam aberrent: quis enim has eripiet vel prudentissimis et gravissimis in Rep: viris, quamvis et illis errare contingat. Priusquam

1951

56) ♂ *statt* ♀

vero eloquar, unica nubes tuarum Literarum difflanda ventis est. Latet enim post illam sidus praecipuum. Scribis te procul ab omni humana ambitione solis tuis studiis incumbere. Dictum ambigue, quod si non esset, negarem me credere. Nam cur de astrorum significationibus esses sollicitus? Est igitur humana tibi iam ambitio Respublica vestra; sunt tibi studia tua Theologia sane et charitas animarum, sed cum satellitio suo. Cum igitur □ ♂ ☿ platica acrimoniam denotet ingenii (quae mihi sane tecum est communis ex signis oppositis et permutatis ♂ in 10 ♎, ☿ in 8 ♑), cum ✳ ♃ ☿ subtilitatem speculationis temperet, sapientiae practicae amore multisque humanitatis respectibus cum Doryphoria ponderosissima ♄ ♃ in angulo impleat et distendat animum rebus et consiliis magnis firmetque ad laborem et industriam et sedulitatem in tuendo rerum et studiorum ordine, nihil aliud sane notat appulsus Lunae, quae sensuum et Cerebri significatrix est ad dictos tres radios, quam praecipuam per hos[1] annos exercitationem ingenii in studiis, quae singulariter elegisti, quae sane ad suum finem dirigis; si nubem illam non dispulissem, dicerem te nominis celebritatem et lectorum profectum quaerere aliquo opere publice, quod mediteris; at quia aliter esse conclusi, sequitur ut et hoc mutem: igitur praecipua tibi exercitatio in scribendis literis et parandis amicitiis praecipuorum in collationibus et disputationibus de praecipuis materiis, quibus Ecclesiae salus innititur: finis tibi, ut tua eruditio, dexteritas, humanitas, Ordinum sacrorum studium et quae talia innotescant, eaque ratione si olim proveharis, virtutis tuae campum nactus Ecclesiam plurimum iuvare possis. Ex illa vero praecipua huius temporis assiduitate quocunque iam in studiorum genere contrahes tibi valetudinis incommoda, affliges cerebrum, colliges et coniectabis catarrhos: erit ubi etiam intemperantia dicendi provectus, adversarios tibi nonnullos pares, quosdam etiam imagineris, qui non sunt; itaque suspicionibus per annum 1620, quando Saturnus tuum Solis locum quadrato, meum vero asc: corpore affligit, te ipsum affligas. Haec vero omnia virtutem quae in te est acuent, famam confirmabunt, quodque hoc anno 1619 per faustam revolutionem, in qua Sol et Luna congredientur in ♐ cum ♃, fundamentis positis inceperis, id foeliciter perficies sequentibus. Nam appulsus Lunae ad horoscopum splendidus est cum sit in trigono ☿ et cum fixis clarissimis, etiam ratione Latitudinis et parallaxis proxime cor ♏. Scio Astrologos solere monere de veneno ob hanc fixam: at praeter caetera quae contra dici possent extra hominem, hoc est quo quilibet modo insidietur tibi et oporteret, opinor infaustos alios positus accedere, cum hic sequatur □ ♃ et ad Lunam ☌ ♃. Nec quaeras, cur directio medii coeli ad ☍ ♃ sine effectu fuerit: imo tunc iacta

196

65) venetis 69) esse solicitus 87) innotescat 94) mecum

sementis, cum id aetatis inclaresceres in Theologia; messis sequetur quam nulla astra maturant, cum suum tempus sua fata illa habeat; quis astrologorum unquam vindemiam Aprili mense polliceatur? Ita Episcopatus, Cardinalatus, Pontificatus, hoc certe circumspectiori tempore non possunt maturescere anno 21 aetatis; sufficit si quid horum vel etiam Reip: muniorum seminetur id temporis.

Quid Saturno factum in descripto transmisso, non nisi te referente scire possum. Exemplum meum sic habet:

♄ Motu medio ab aequinoctio	20°. 13′. 40″ ♓	
Aequatio velut ex Sole app:	13 . 46 . 21 ♓	Eccent.
Anomalia commutationis	10 . 2 . 27	
Elongatio a Sole vera	9 . 3 . 41	
☉	23 . 45 . 48 ♓	
Verus Saturnj	14°. 45′. 7″ ♓	

In exscriptione ergo locum eius Eccentricum arripui pro loco vero aut *196r* inde gradum desumpsi, tunc minutum. Decedunt autem 3 scrupula, quibus locus Eclipticae e regione Saturni anterior est quam locus orbitae Saturni. Itaque locus eclipticus erit 14°. 42′ ♓. Neque tamen ideo moveor, ut palmam certitudinis tantae tribuam directionibus, ut ex iis error unius gradus argui possit. Quoties putas certissimo calculo directiones ab eventibus aberraturas? Et velim videre, quibus tu naturae fundamentis innixus affirmes, coelum hunc per directionem tibi causam ingentium calamitatum fuisse et amissionis fortunarum pene omnium. Prioribus literis erant miserandae fortunae parentis. Si patrem cum fortunis amisisti, si non ipse perdidisti; nec animus nec coelum in causa fuit, sed fatum; sic appellare soleo, quae sunt extra nos, ut quae nos antecesserunt infectaque fieri non possunt; aut quae nec nos nec genesis nostra praestare potuit, genesis enim naturae pars est. Sin autem ipse, extimulatus odio vel impatientia vel cupiditate causam dedisti inimicitiis, persecutioni vel mulctae, tunc demum fatebor vim directionis huius. Plane enim Astrologicum sensum habet illud: Et genus et proavos et quae non fecimus ipsi, vix ea (genesis ego) nostra puto.

Quid igitur, inefficacem dico directionem illam? Imo efficacissima nihilominus esse potuit. Dico enim, ut prius de Jove, quid si ex illo tempore praesidiis Reip: capessendae amissis maius aliquod consilium animo conceperis, quod sit ex dignitate coniunctionis illius magnae ♄ ♃ in doryphoria ☉. Itaque spem non imbecillem praeeo; alterum illud fundamentum alteram columnam positam, cui futurae fortunae tuae

121) erigione 126) huc 142) alterum

magnitudo innitatur. Concursus vero illius externi infortunii (si ut positum, non ex te ipso causa data) et huius directionis inter plane contingentia fuit et rerum singularium respectu plane fortuitus, etsi ipsae res et tempora ex sua quoque causa nexa.

Ptolemaei Harmonica cum Aristoxeni habeo impressa Venetiis apud Vincentium Valgrisium anno 1562 interprete Ant: Gogavino. Interpretationem ex manuscripto Graeco novam ipse addo, minus forte latinam, sed magis ut spero perspicuam; intellige hoc de parte libri III, quam operi meo subiungo. Quod si quae indicavi loca operis censuram non metuere debent, iam abs te indicata ratio est, qua cum hoc opus, tum Ephemeridas Venetias quanto censes numero mittam. Nam illius mercatoris Super (Schoper Germanice), cuius in posterioribus meministi, Patronus seu principalis Johannes See habitat Welsae oppido nobis vicino; quem Schoperum si iubeas scribere patrono suo, ut is mihi spondeat pro pretio | librorum; ei ego libros tradam, quos mittet Venetias, linteorum voluminibus, quibuscum negotiatur, in easdem sarcinas compactos.

Video vos exprobare mihi promissa saepe diu irrita, itaque exemplum mitto eorum, quae huc usque in Harmonicis a libro III. sunt excusa. Nam cum ad Rhenum excudere statuissem opus, dimiseram duos primos libros a me; qui iam, postquam institutum mutavi, ad me remissi sunt initio iam facto a libro III.

Quae igitur ex multiplici tua doctrina de quaestione illa mixta candidè et more mihi usitato mecum communicasti; bonam mihi spem praebent: nec enim eousque sum provectus, sed irrito magis Theologos quosdam in Germania (non sane praecipuos, sed plebeios plerumque) qui nulla dignitatis officii habita ratione Prognostica scribunt et Calendaria ineptissima, et geneses superstitiosas. Videbis, et si quod periculum et quid censores possint opponere, particularissime rescribas vehementer oro. De motu Terrae maior difficultas, cum videam censuram editam et publicatam etiam a te ipso perhiberi, quem nihil horum latere potest. Atqui secus ego credideram adhuc illam in deliberatione esse, necdum Summi Pontificis authoritate roboratam. Itaque suppeditavit haec meorum librorum per Italiam calamitas occasionem lusui ingenii: quid si advocatum agerem Copernici ad censores, aduocatum etiam eius discipulorum; non meum quidem aut Germanorum, qui Romanam Ecclesiam non sequuntur, sed Italorum, qui alii Romanae subsunt: quid si exceptione utar non actione, non scilicet criminer iniustam vel impertinentem censuram naturalium a Theologis, nec dicam non satis ipsis

148/149) Interpredationem 153) quando 154) Germanicae 157/158) Venetios 159) compactas 165) candidè 168) praecipuas 174) crediteram

esse cognitam causam, quasi sua negligentiâ (etsi mea commentaria de Martis motibus legi prius potuissent et certe perpendi debuissent aut saltem eorum sententia de possibilitate vel impossibilitate expectari, quibus negotium datum emendandi Copernicum eoque et illa mea commentaria; excerebrandi scilicet adempto motu Terrae), sed hoc dicam, nondum liquere potuisse nobis ipsis, nunc demum nova inveniri, quae etiam sint consideranda? En lusum ipsum, si spem facis restitutionis, subiungam tale quid in calce libri aut epistolam seorsim imprimam, sin inconsultum putas; hactenus igitur lusum esto: exeat igitur dissimulata censurâ velut ignaro eius authore. Jam autem facile tibi erit, audita unius bibliopolae sententia, scribere, quot exemplaria Venetias mittenda sint. †

Verum oritur nova quaestio. Epilogus capite X videtur attentionem † moturus. | Qualem in Terra ponam facultatem animalem, cui concreatus *197v* instinctus percipiendi Aspectus sine discursu, id ex libro IV. patet. Jam Harmonicae meae sunt inter motus planetarum, quatenus illi ex Sole apparent: sunt igitur solares: et Harmonicae sine mente non sunt, saltem non sine instinctu, similis illi in Terrae animali facultate, qui anima Mundi dici potest, de qua etiam in libro de stella nova. Aut deus ipse domicilium † habet aut mentes aliquae, quales sunt creaturae generis humani in Terris. Obiectum enim Harmoniae non frustra factum est, sed ad movendum aliquam creaturam idoneam. Deo vero naturale veluti et ordinarium ascribere in Sole domicilium, contra fidem est, quia is ubique in coelo vero toto generaliter per gloriam et maiestatem. Relinquitur, ut aliquam rationalem in globo Solis Creaturam incolam saltem coniecturaliter supponamus, quae tamen non sit eadem cum humana, sed magis intellectui simplici similis, quam Rationi Ratiocinanti, ut solet homo, quia homini motus terrae annuus circa Solem pro medio est astronomiam discendi per discursum, quo medio solares carent ob Solis quietem in centro. Angelos dicerem, sed illi non habent in mundo tale certum domicilium, quia sunt deputati ad ministerium. Est igitur naturae aliqua pars alligata Soli, ut homines terrae ratione corporum, quasi Solem deserent, Harmoniis illis, ob quas talia introduco non fruerentur. Nec sufficit dicere Harmonias illas esse propter Keplerum et qui post illum lecturi sunt hoc opus. Nam ne Aspectus quidem in terris siderum sunt propter solos Astronomos, sed insinuant se generaliter omnibus etiam rusticis, per occultum instinctum. Haec enim est vis Genesium. Interim diligenter caveo, me intelligentias deos non introducere nec Theurgicas superstitiones stabilire, sed de his coniicere, ut de parte naturae, denique tantum illud velle, nos nondum omnes naturae thesauros angustia cogni-

198) non *fehlt* 202) ordinorum 203) ubique nuspiciam in 216) insiduant 217) Hac 221) quae *fehlt*

tionis nostrae exhausisse, sed adhuc plura in mundo esse, quae nesciamus. Dico non mirum, si quis ita somniet, nihil absolute statuo. Haec summa est: tu si statim rescripseris; poteris super hac re me tempori monere; vix enim ante 4 septimanas ad illum locum venient operae, aut potest etiam una pagina mutari.

De Harmonicis hactenus: initium hoc feceram dicendi de cunctatione mea in operibus, quae sub manibus habeo: Cuius quidem excusa-
198 tiones multae sunt | et variae. Primum calamitates aulae sub Rudolpho, turbatum statum regni et mala domestica, quibus per aliquot annos sum
230 impeditus, non teneor praestare. Quorum externorum praecipuum hoc est, quod, cum adscriptum mihi sit salarium sane quam honestum a Caesare, id tamen non solvitur: nisi a Communitate huius provinciae ordinum modicum acciperem, ne domum quidem sustentare possem; sed dudum cum dedecore Principum extraneam opem implorassem. Ex hoc sequitur, quod raro amanuensem alo et calculatorem. Est mihi iam sedulus calculator et totius Matheseos capax Janus Gringalletus Sabaudus: qui opus Ephemeridum in annos multos calculare posset in meis aedibus: at cum ei non satisfacere possim desertus a Caesareanis, de diuturna eius praesentia certus nequaquam sum. Rursum igitur in me
240 solum recident omnia; neque sane vel amicis scribendis epistolis interdum sufficio, nedum ad calculationes. Sunt et aliquae morarum causae in meo ingenio. Non omnia possumus omnes, neque ego ordinem tenere possum: extemporaneus sum ego, confusus et si quid ordinatum a me proficiscitur, decies id repetitum est. Interdum error calculi ex properatione commissus longissimo tempore me remoratur. Possem sane infinita effundere; nam etsi deest lectio, superest imaginatio: at non placeo mihi in confusaneis talibus; taedet pigetque; eoque vel abiicio vel reservo donec revideam, id est donec nova scribam quod plerumque fit. Peto etiam a vobis amicis, ut ne me totum damnetis in
250 pistrinum calculationum Mathematicarum, tempus mihi ad speculationes philosophicas indulgeatis, delicias meas unicas. Irasci mihi nonnullos ob dilatas Tabulas Rudolphi non dissimulavi in Prologo libri V Harmonicorum; dixi scilicet me tempore abuti ad speculationes Harmonicas. Suum cuique pulchrum, alii Tabulae et Materia Genesium, mihi flos Astronomiae, politia Motuum et ornatus placent.

Quid quod ipsae Tabulae causas serunt morarum: nihil de difficultate dicam: ipsa forma calculi iam perfecta tota renovanda est secundum Logarithmos, ne superveniens alius principiis meis assumptis commodiorem illum modum novis tabulis exprimat. Denique si perfectae ta-

229) aliquid 232) salvitur 234) Principium . . . implorasseno. 235) ne *statt* et 242) ergo 244) ad me . . . dicies id repeditum est. Intertum 246) lectio aut superest 250) calculationem 255) placunt.

bulae essent; possent tamen impedire | Braheani editionem, quia cum observationes Brahei ex ipsorum concessu habeam, vicissim illis obstrictus sum. Accessit mihi tamen in tot difficultatibus nova spes. Jo: Remus Quietanus, Medicinae Doctor, qui Archiduci Maximiliano piae memoriae erat a cura corporis, nunc ad Caesarem transivit, cuius Mathematicus audit; qui partem curarum sibi deposcit. Puto notum esse, quippe qui diu in Italia, diu cum Galilaeo fuit, multos cardinalium sibi devinxit. Verum desino ne moras excusando nectam longiores.

Nondum respondi ad quaesita de radiationibus Trigona et Hexagona, num per latitudinem considerentur, cum ad Horoscopum dirigimus. Ego naturae consentaneum puto, ut illud Eclipticae punctum habeat vim trigoni Mercurii, unde in corpus ☿ est triens circuli magni. Nam si trigonum ipsum sine Ecliptica et extra eam considerare velimus, durabit unius trigoni directio per annos plurimos. Etsi vero differentia aliqua est arcuum circuli huius magni et Eclipticae; ea tamen nullius est in directione momenti. Progressiones Jovis annua et Lunae menstrua vim suam habent; illa vero non videtur extendi ad reliquos, qui hoc motu carent, eoque non utor. Jactent experientiam quantum velint, mihi haec unica ratio sufficit, quod quanto magis multiplicantur principia, tanto incertior fit eorum in genesibus experientia. Menstrua Lunae progressio speciem habet directionis modumque suppeditat eius dirigendae, qui verisimilitudine contendit cum meo. In cometarum descriptione versor: si quid perfectum typisque repraesentatum fuerit, curabo, ut id habeas. Primus mense Augusto obscurus fuit; ex ♌ in ♋ ivit sub pedibus ursae; ultimus vero die 26 Novembris, quantum ex variis relationibus habeo colligere, transivit Eclipticam in 15° ♏, tendensque ad Bootem ab eius dextro crure versus sinistram elevatam manum exivit et 13 Jan: circa finem ♋, sed non ultra 13° a polo mundi conspectus est ultimo.

Mitto quem petis librum de stella nova; invenies in eo vivis coloribus depictum M. Ant: de Dominis: qui si, ut scribitur, occidit, annihilavit et conatus suos magnos et meum prognosticum.|

Finio tandem rogoque Ill.^{am} D.^{n} T.^{am} aequi bonique consulat rusticanos et literam et sensus moresque: plus equidem ei venerationis debeo, quam ulla calami verborumve elegantia praestare possum, eoque consilium a desperatione cepi, omnemque ornatum, omnes verborum caeremonias seposui, ut animi sensa sine impedimento depromerem. Vale. Dabam Lincii 13 Cal: Martias anno 1619.

269) Horoscopium 275) directioni 277) velit 287) et *statt* est 290) conatos 292) equitem

828. FLORIAN CRUSIUS AN KEPLER IN LINZ

[Loschberg], 23. Februar 1619

Wien, Nationalbibliothek, Cod. 10702, Bl. 328–329. Eigenhändig

328

S. P.

Non est, quod metuis, charissime Keplere, nec ursus noster tam stultus est ut existimas, licet paulò simplicior et agrestior videatur: crede mihi saepè sub simplicitate columbina, serpentina latet astutia: licet Virgilius nescio quot oculos famae affingat, caecissima tamen, ut video, in ursi nostri negotio fuit: et quid mirum? audivi enim ursum istum aliquando in praesentia mea gloriarj, negocium suum multorum excedere captum, et eorum quoque qui se αὐτόπτας fuisse ajunt. Nec hoc ursus Keplero concedit, quòd ursum tantae imprudentiae insimulas, ut existimet se revera jam Montem quietis praesertim his in tumultibus et turbis provincialibus attigisse, licet quietem eam qua jam fruitur acceptet tamdiu, donec Deo aliter visum fuerit. Quod verò ursus spreta (·ut D. Keplerus existimat·) commilitonum conditione colla jugo virorum subdere, trahisque alligatus ligna venum vehere noluerit, sed libertatis amore et victus mercenarij contemptu spaciatum et venatum egressus sit, id ursus ea causa factum esse pernegat: longè alia erat causa cur ursus deserta mundj hujus lustrare voluit, quod alio tempore dicetur commodius: et forsan si tum ursus sibi locum inter commilitones adhuc superesse vidisset, jugumque cui honestè et cum laude subdere colla potuisset, alicubi commilitonum etiam suorum consilio et ope offendisset, non tam insipiens fuisset ut dimisso ex faucibus verae carnis frusto imaginem aliam in undis captasset. Sed haec transeant: et credat inposterum D. Keplerus, ursum nostrum jam speculam suam conscendisse, et indè observare, quid in praedam ipsi cedere possit. At vulpecula ista videat, ne fortunam istam quam D. Keplerus urso ominatus est, ipsa subire et experiri cogatur: quod si fiat tum manifestum evadet ursine major calliditas fuerit an vulpeculae.

Existimaveram secundam partem Astronomiae tuae proximis nundinis vernalibus exituram in lucem, sed misera adhuc propter ignaviam parentum et tutorum suorum in gurgustio typographi delitescere cogitur; o injustos genitores quorum supinâ negligentiâ liberorum claritas et fortuna tam turpiter perditur! ecquid typographus agit? nonne pudet hominem spacio septem mensium 50 tantum paginas posse imprimere? an ita in re uxoria occupatus est, ut cibi etiam obliviscatur? In harmonicis tuis aut vera aut falsa docebis: si vera, sagacissimus mihi naturae Hermes eris: sin falsa, pulcherrima tamen speculatione hominum ingeniosissimo-

rum animos saepe delectabis: at quam vellem, ut verissima sint omnia quae scripturus es, praesertim ea demonstratio quae ad obtinendam dispositionem illam verè harmonicam in motibus corporum coelestium, eccentricitates planetarum illae ipsae quas quilibet pro se habet, et non aliae constituj debuerint: et videor mihi jam veritatem certam et firmam Harmonicae tuae dispositionis in motibus istis coelestibus videre, si modò palmaria tua hypothesis de loco Solis in centro universi irrefutabiliter demonstrata esset: et crede mihj, quantum in demonstratione dictae tuae hypotheseos laboraveris, tantum splendoris et autoritatis et fidei et veritatis ad Harmonicam tuam accedet: nec opus erit ut lectorem tuum per centum annos expectes, sed vivus etiam, quod nulli ab hominum memoria contigit, inter sydera refereris: ipse Orion et monstrorum domitor Hercules tibi cedent, nec principi inter astra locum et lumen invidebunt. Sed pessimè magna de spe, quam in amorem et fidem tuam collocaveram, decidi: exemplar prognostici tui de tribus cometis hoc praeterlapso anno visis à te mihi invisum esse credere non potuj, quod tamen jam manibus palpare cogor, si forsan | oculis cernere nolim: attamen si adhuc mica favoris istius veteris in ursum nostrum animo tuo (·heu nimium oblivioso!·) superest, fac ut hac in parte istam jam videam, et exemplar unicum saltem istius prognostici, si non mancipio, sed usuj tamen ad tempus mittas oro: de tribus enim istis cometis hactenus nil audivi certi, unicum saltem ipse vidi Hippolyti mense Decembri, quo tempore aliquot horis ante Solis ortum manè conspiciebatur. Exemplaria primae partis Astronomiae tuae ego et D. Phandlerus accepimus: in eo exemplari quod mihi cessit, deficit circa finem pagina literae V, et pagina literae M excedit, quam remitto, et D. Megiserum nomine meo officiosissimè salutatum ora quaeso ut recepta pagina M, deficientem paginam V tibi, ut hoc nuncio eam mihi mittas, tradere non gravetur: faciam ut ubi opus erit, gratum me sentiat. Gaudeo verò in tanta me apud te esse autoritate, ut me inter ista mundi utriusque lumina et fratres Apostolicos si non revera saltem suspicionibus tuis referre dignatus sis: faciam ut pro hac gratia magnam justo tempore aurj massam consequare: sed ut certior sis in posterum hac in re, non sum ego Felix ille von Arch, nomen illud nimis est puerile et germanicum: meum est hispidius, grandius, latinum et barbarizans, quo me fratres rosei appellare solent, videlicet Ursus de Vulpibus ad fabulam D. Kepleri alludentes. Gratulor tibi conjugique tuae de parvulo vestro Sebaldo, Deus crescere ipsum faciat, inter suos receptum perpetua gratia foveat, utrâque felicitate beet, et det ut avus nepotes suos aliquandò videat. Ad Besoldi nostri conjectanea forsan datâ occasione peculiari scripto respondebo: sunt magna, fateor, quae de novo orbe scribuntur, et dignissima ut majori quam à plurimis hac-

328v

tenus factum est, perpendantur acumine: sed tamen sunt alia majora: miramur saepè nec immeritò quae novâ in lucem producuntur historiâ, at saepè etiam quae antiquo inculcantur labore quantum pondus habeant non animadvertimus. Salutes quas nuper tibi disseminandas tradidj inter amicos meos fac ut jam duplici diligentiâ dissemines; tu verò cum conjuge tua et liberis, et cum optimo nostro Gringalleto jam quoque plurimum mihi salvete et valete. Salutat te officiosè senior Dominus Phandlerus apud quem haec in monte Lossio scripsi, cum ejus privigni periculosissime febre Ungarica laborantis hactenus per Dei gratiam non inutiliter curam haberem. Die 23. Februar. Anno 1619.

Dominus Zellerus te novit et bene tibi cupit, et à se per me tibi salutem tuisque dici voluit.

Exemplar mei de morbo Ungarico scripti apud Typographum quaeso cures quaeri, et inventum mihi hoc nuncio transmittas, solvam ipsi quantum exemplari voluerit: ne unicum quidem jamdudum habuj reliquum, nam Argentinenses quae mihi reservaveram extorserunt. Si pro D. Phandlero etiam istius mei scripti exemplar nancisci potes à typographo, magnam apud ipsum inires gratiam: et si typographus precium pro exemplaribus istis duobus statim habere voluerit, à juniore D. Phandlero qui apud vos est, id consequatur.

D. et Excellentiae T. observantissimus

Florianus Crusius

329v Clarissimo et Excellentissimo Viro D. Joannj Keplero S. Caes. Majestatis et Ordinum illustrium Austriae superioris mathematico celeberrimo amico et fautori meo colendo. Lintz in der hoffgaſſen

829. MATTHIAS HAFENREFFER AN KEPLER IN LINZ

Tübingen, 17. Februar 1619 (a. St.)

Tübingen, Acta Universitatis V, 23. Bl. 23–24. Abschrift

23 Salutem in Christo Jesu, Domine et Salvatore nostro.

Clarissime et praestantissime Vir, Domine et Amice singulariter mihi semper honorande et charissime. In literis tuis, per M. Wagnerum, pastorem Neosolensem mihi redditis, principiò metum mihi attribuis, quo praepeditus nihil hactenus literarum ad te dederim, ne te, Amicum meum offenderem; quem si eum intelligis, quasi veritatem Amico post-

ponam, nae plurimùm falleris. Nam iste mihi semper Animus, eaque constantissima mens fuit, non offensionem, sed longè maximum beneficium habendum esse, etiam dolentem et restitantem Amicum, in viam ducere veritatis. Sed proh dolor experior (·quod magna et tristi συμπαθείᾳ experior·) te non tantum medicam respuere manum, sed acerbissimis quoque verbis excipere auxiliatorem! Sed quid agam? alterius animi nunquam futurus Rector? quod tamen Regimen nunquam mihi attribui velim; nec si velim, possim sperare. Meditationes, cognitionem et labores tuos insignes et nobiles, non tantum in sublunaribus, sed in superioribus omnibus, vsque ad supremam Saturni superficiem, semper veneror, magnifaciamque semper: sed quae superiora, quae spiritualiter coelestia sunt, vno verbo, quae Theologica sunt, hîc manum de Tabula! Hîc stultescere oportet omne humani ingenij acumen. Concordiae Formulam, Sarcasticè, meam appellas, cujus me, quia fundamentum coelestis veritatis, ex scripturis sanctis fundamentaliter tractat; nunquam puduit, nec pudebit vnquam. Mihi juventutem meam exprobras, in ministerio succrescentem. (·Noli succensere accommodanti, rectè enim mihi ipsi attribuo, quae cum stomacho mihi objectas·) Illud verò mihi dolet, quod de communis nostrae patriae, et Ecclesiarum Christi Servatoris ruina vaticinaris, quod tamen ego pium libenter metum potiùs, quàm acerbam ἐπιχαιρεκακίαν interpretarer, si reliqua iracundiae verba, hanc sensus mitigationem paterentur. | Sed maledicant Christo, qui velint. Ego ca- 23v
pulare silicernium citiùs me liberatum iri spero, quàm ut hostes hoc gaudium, vel Ecclesia patriaque hanc exitialem ruinam viderint. Bone Jesu serva nos, cohibe omnes hostes tuos, et veritatis tuae! Permitte, quaeso ut justo indulgeam dolori, crudelem medicum facit aeger! Sed hoc vnico solatio, hunc omnem tempero, si omni subtilitate tua chronologica hujus veritatis aetatem mihi explices: Et verbum caro factum est. Si amas me, si amasti vnquam, obliviscere (·quos in hac postrema epistola tua induisti·) affectuum tuorum et tenta rem: Tria verba sunt, 1 verbum, 2 Caro, 3 factum: aut stultus et amens ego sum, aut Tu deprehendes, quàm stulti, amentes et furentes simus in divinis mysterijs, nostra stultitiae ratione scrutandis. Sed tantùm sufficiat, de prima tua Harmonia ἀναρμοστοτάτῳ.

De altera Astronomica Harmonia, transmissos titulos, distribui, et Typographo, ut valvis appendat monitor fui, spero opus bonis omnibus et vtile et mirandum futurum. Tu interim sis memor, quod per Christum et salutem tuam te oro, Christianae meae distinctionis inter Mathematicum, et te Theologum, qui titulus in neminem, nisi verbi coelestis discipulum, quadrare potest. Ad Harmoniam denique Evangeliorum quod

21) fundamentalitas

attinet, memini, me illam vidisse, et te ipso monstratore praecipua delibasse; suasor quoque esse pergo, ut et vsui lucique publicae concedas. Illam verò communicationem ego quomodo promovere possim, non
50 video. Author equidem in multo splendidiore lucis coruscatione versatur, quàm Ego silicernium. Et vino vendibili nihil opus est suspensa hedera! Faxo tamen ut vel ad Herenalsenses, vel ad nostros eò profecturos scribam. Opus artificem satis superque commendabit. Tu noli dormitare, sed quae in vtilitatem publicam elaborata habes, communica; benedictio futura hoc est locupletior. Sic vale vir, animo meo longè
24 charissime, et excussum tibi credito | metum, qui me in offendendo Amico, salutis causa, retardet. Legi etiam Admonitionem Domesticam de Coena Domini, in qua non probo quae de signis panis et vini, non Tuam esse
† additionem, manu Tua adsignasti: Nam superioribus et Salvatoris verbis
60 contrariantur. Vale et percutientem Amicum amare perge. Signatum Tubing. 17 Februa. 1619.

Nobili, Clarissimo et praestantissimo Viro, Domino Johanni Keplero, S.ae C.ae Majestatis etc. Nec non Statuum superioris Austriae Mathematico nobilissimo etc. Domino, Amico et in Christo Fratri charissimo reddantur. Lintz

830. JOHANN BAPTIST HEBENSTREIT AN KEPLER IN LINZ

[Ulm], 28. Februar 1619 (a. St.)

Wien, Nationalbibliothek, Cod. 10702, Bl. 364. Eigenhändig

364 S. à Servatore.

Schecho gestore, Vir Nobilis celebratissime, spero tibj proximas nostras esse redditas, et vnà terminalem, ὡς ἀρχαΐζειν, rationum nostrarum πίνακα. Si quid erit, quod apud nos cupias pararj, per modum ἰσοῤῥόπου, debitum aerusculum pro eo exponam. Scripsi aliquid de Habrechto μάστιγε meo, cuj adorno ἀντιμάστιγα. neque enim me sed totam
† nationem conscribillavit, neque etiam tuae dignitatj pepercit. Vtinam benignum aliquod numen efficiat, utj laterj tuo propior, rem meam et publicam facere commodè possim! Non equidem praesentia, quae Deo
10 largiente obtineo, sordent: sed interea in prisco illo peripato quasi luto contaminor, et consenesco, neque Ptolemaica intelligens plenè, neque

50) coruscatione 54) dormitares, sed quia in

Alfonsina aut Prutenica, nedum Copernicana. Interim φιλομάθησις instar edacis flammae me tantum non conficit. Est mihi uxorcula, filiolus et par filiolarum, copiolae exiguissimae, excepto mediocrj librorum numero, et necessarijs Oeconomiae Vtensilibus. Si Lentiorum Gymnasium foculum meum ἱκανῶς foveret: alteras quidem copiolas ingenij omnes in juventutis effunderem erudiendae vascula: alteras verò totas solidasque Mathesi dicarem. Ἀλλάτε πάντα θεοῦ ἐν γούνασι. Te, Clarissimum virum fautoremque meum principem divino Numinj commendo, et interprete Venerando Domino Wagnero musicè valere precor. Ex voto meo, quod obiter addo, tua dignitas intelligere habet, quantum ipsius dem fidej et candori: Vlmanos enim meos ignorare istuc planè, planè mihi expedit. Dabam prid. Kal. Mart. Anno XIX.

T. Dignit. obnoxius

M. Hebenstreitt R.

Nobilj celebratissimo Viro, Domino Johanni Kepplero, Mathematico Caesareo, et Illustr. superioris Austriae procerum dignissimo fautorj meo plurimùm colendo.
Ad Lenzios

364v

831. KEPLER AN PETER CRÜGER IN DANZIG

Linz, 11. März 1619


Pulkowo, Sternwarte, Kepler-Mss. Bd. XI, Bl. 78. Eigenhändig

Clarissime Vir

78

Qui has fert, admonuit uxorem meam, si quid ad fratrem velit perscribere. Ego ad te malo. Dicas igitur ipsi salutem à me, et amissâ filiâ utrâque, Margarethâ anno 1617 Septembrj et Catharinâ anno 1618 Februario, trimulâ illâ, hac anniculâ, auctum me vicissim filio Sebaldo 18 Jan: hujus 1619: valere matrem filium, fratremque ipsius cum liberis, tenui licet fortunâ. De Cometis scripsi tractatum, sed absum ab idoneis Typographijs. Demonstro per motum Terrae quàm altus ille in aethere, et quomodò trajectionem fecerit aequabilissimam in lineâ rectâ. Schedam accepj Argentina, in qua rogas meam sententiam super dubitatione in argumentandj formâ per refractiones. Invenies quod quaeris, in Astr: parte Opticâ. Refractiones in 20° gr: altitudinis desinunt esse sensibiles subitò quasj. Oportet igitur subitam similiter fierj mutationem inclinationis radiorum super superficiem refringentem. At quo altior à Terrâ superficies, hoc minus in eâ variabilis inclinatio ejus radij, qui per eam usque ad Terram ducitur. Hujus argumentj haec vis est, ut non possim

defendere refractiones a Tychone proditas, nisi aeris superficiem refringentem humiliorem uno milliarj Germanico sumam.



In A tangatur Terra, minus igitur differt C a recto, quam B. Non est autem refractio tantum ab inclinatione, aliâs esset illi proportionalis, sed etiam ab incremento secantis inlinationis.

Quid praetereà agam, ex adjectis Schedis superfluis habe, quintus liber hodie absolvetur, at nondum sunt excusj primus et secundus. Appendix † cum Mysterio Cosmographico accedet Francofurtj. Mitte quaeso unam paginam ad D. D. Papium, cuj puto placebit liber 4: ob Metaphysicas et Physicas seu Psychologicas contemplationes. Vale. Raptim 11 Martij † 1619, quo die fama percrebuit de Caesare mortuo sed adhuc incerta. Lincij.

C. E. T. studiosissimus

J. Kepler

78v Clarissimo viro D. Paulo Crugero Mathematico Dantiscano, D. amico meo observando. Dantzig

832. LUDWIG BARBAVARIA AN KEPLER IN LINZ

Mailand, 13. März 1619

Pulkowo, Sternwarte, Kepler-Mss. Bd. XI, Bl. 235, 238. Eigenhändig

235 Clarissimo et Excellentissimo Viro Domino
Jo: Keplero Mathematico Caesareo.

Serius omnino quam uoluissem litteras ad te dare sum coactus hac una potissimum de causa, quod internuncij commoditas, cui tute illae committerentur, nulla se mihi offerebat, nec uere tabellariorum occasio erat in promptu, cum hinc ad uos rectà commeare non soleant. Nuper autem ex inopinato euenit, ut ex quodam Germano Sacerdote intellexerim, praesentium latorem Nobilem adolescentem D. Marcum Aurelium Rescaleam se quotannis Lincium mercaturae causa conferre solitum esse, quare opportune oblatam et ardentissime concupitam occasionem è manibus eripi non sum passus. Ac, quorsum hae litterae, quid mihi tecum est negotij? aut quaenam inter nos contracta fuit necessitudo? Verum, sed accipe qualem mihi praebendam excusationem, quam abs te pro tua singulari humanitate ac ingenuitate probatum iri non diffido.

14) probatam

Vix est dictu facile, quantam expectationem, quantumque in omnibus Astronomicarum rerum studiosis excitaris desiderium, à quo tempore didicerunt futurum, ut ad multos annos iuxta nouam coelestium motuum restitutionem à te propediem conderentur Ephemerides, uerum praeconcepta spe minus inuenerunt, ubi solius anni 1617 facta est editio, quae licet in sequentis anni 1618 partem alteram promittat adiunctam, in hisce tamen cisalpinis regionibus nusquam illa comparuit, incertum, Biblio|polarum ne uitio, qui libros è nundinis Francofurtensibus huc 235r transmittunt, id acciderit, an uero quod abs te publici nondum iuris sint effectae. Ratio quidem ista ephemerides annuatim elaborandi non improbatur, usque dum tabulae coelestium motuum ad amussim correctae fuerint, tempestiue tamen adeo maturanda esset illarum euulgatio, ut meteorologici uaria temporum euenta cum ueteribus ac nouis tuis Planetarum aspectibus conferre possent, ratasque obseruationes aliquando constituere. Equidem ipse mihi non aliunde quam e dom. tua consulendum putaui, illud ab humanitate tua etiam atque etiam efflagitans, ut cum primum à praelo isthic ephemerides sint receptae, illarum exemplum institoribus DD. Rescalearum tradere ne graueris, qui precium omne illico persoluent, ac librum ad me sartum tectumque perferri curabunt, quod si abs te impetrauero, ut spero, ingenti me beneficio deuincies, adeòque obstrictum habebis, ut, quacunque in re me tibi possem commodo esse cognoueris, mea tibi uicissim officia polliceri non dubitem, summaeque felicitatis loco reponam, si quid tua causa curandum in mandatis accepero. Multa essent, quae dicerem de Hipparcho tuo, deque Harmonia Coelesti, et uniuerse de ijs quae sub incude nunc habes uir doctissime, | sed ne modestiae limites nouus hospes egrediar, 238 hic subsistam, finemque scribendi faciam, unum solummodo obsecrans atque obtestans, ne gloriae tuae, quamuis iam satis partum, serus inuideas, sed quidquid potest manus tua instanter opereris, ne quod summis ingenijs, hoc est tui simillimis, euenire solet, praeclara monumenta litterarum in puluere sinas iacere. Vale mi Keplere, interpellationemque hanc meam adeoque meipsum tui amantissimum, hilari tua fronte amplectere, quod abs te factum certò mihi persuadebo, si ad haec uno uel altero uerbo responsum uidebo. Mediolani, die 13 Martij anni Gregoriani 1619.

Excellentiae tuae Studiosissimus
Ludouicus Barbauaria
Ordinarius Metropolitanae Ecclesiae Milani

Clarissimo et Excellentissimo Viro D. Jo: Kep- 238v
lero Mathematico Caesareo. Lincium

833. JOHANNES REMUS QUIETANUS AN KEPLER IN LINZ

Innsbruck, 13. März 1619

Pulkowo, Sternwarte, Kepler-Mss. Bd. XI, Bl. 122. Eigenhändig

122

S. P. D.

Clarissime et Eccellentissime vir amice longè charissime, Tuas accepi literas Brisachij 3. Martij st. nouo nescio quam ob causam per 3. Menses latuerint, fui cum Serenissimo Leopoldo in Alsatia et Argentinae, ubi allocutus Perneggerum, Habrecht non erat domi. idem edidit tractatum de Cometa et M. Eluanger; si non habes ego mittam. Sunt ibi aliquae considerationes et obseruationes, licet aliqua specialia et mystica mihi non placeant. Jam petij licentiam apud Imperatorem, utinam eam obtinerem, me enim petijt Serenissimus Leopoldus amator verus Chymicae et Matheseos, hic melius juuare posset nostros conatus et Instrumenta Mathematica colligit hinc inde dispersa, saepius obseruat et colloquitur hisce de rebus mirâ cum delectatione, et ipse aliquando magnus est futurus. Interim ego bonum consilium tanquam amicus dabo sed in silentio pro tua prouisione extorquenda: Mihi olim cum essem Viennae D. Rechperger saepius dixit, si D. Keplerus mecum bonam correspondentiam (ut sic loquar) teneret et dignaretur mihi scribere, ego ipsi faciliter suam prouisionem persolui curarem apud den obriſten Zahlmeiſtern et alios, ipse enim medetur tales et unico verbo opus est, et est in magna existimatione.

Locus ☿ ex mea restitutione Crassiori Minerua et retenta circulari via ita tamen ut respiciat verum locum ☉ inveni in 22°. 40′. ♏; tu 22°. 16′½. differentia 23′½. Latitudo mihi 2½ Mer. tibi 2⅔ Mer. Semidiameter Eccentrici mihi 3920 qualium orbis annuus 10000. Eccentricitas realis 770. Composita 1540. Apogaeum in 20° ♐ ferè. Motus diurnus 4°. 5′. sed subtraho 11′¾ ex Anomalia commutationis. Semid. Eccentrici ♀ 7250. Eccentricitas 0.35′. Apog. 0°. 0′. ♋.

Mihi perplacet tuus calculus et ex parte eum intelligo. sed non in toto, † non enim vidi neque tuam neque Benjamini editionem: si eam mihi mittere velles, prout etiam Prolegomena Ephemeridum, quae nondum vidi neque habere potui sicut etiam Harmonica, rem mihi gratissimam facies. Serenissimus mihi sumptus suppeditat particulares pro talibus nouis operibus Mathematicis, et libenter omnia persoluam. Logarithmum non vidi nec credo quod facilè haberi possit, debet esse ingens compendium. Cometam Mense Septembri non vidi, libenter informarer paulò ulterius. Terrentius abijt instructus bonâ suppellectile Medica-

mentorum Chymicorum. De Luna ego dudum suspicatus fui Tychonicam restitutionem extra ☌ et ☍ non omnino absolutam esse, ex congressibus cum stellis fixis per tubum. Aequatio temporis me fere ad insaniam perduxit. Pro Tyrocinijs illis debebam scribere Theoricam. Epitomen habeo. Mihi haerebant in animo Tyrocinia Balthasaris Caprae Astronomica, et de ijs plura commodiore tempore. D. Sirturij teloscopium impressum est Francofurti. Cometas duos simul apparentes non vidi, forte fuit ille mense Decembri, qui tandem neque oriebatur neque occidebat. Titulos operis tui plane diuini accepi et unum dedi Serenissimo nostro qui multum gauisus fuit et diligenter omnia perlegit et admiratus est. Mittam Romam Cardinali meo tituli S. Susannae qui etiam valdè delectatur Mathematicis, et olim fuit meus discipulus et jam est S. R. E. Bibliothecarius. Alterum Bibliopolae ad manus mittam, tu mihi scribe pretium. Scribam etiam Mathematico Scoto in Hispaniam. Galilaeus mecum concertabit de Cometa prout scripsit, sed malè habet bonus vir ferè ad mortem. Mitto tibi exemplar rapsodicè compositum et multa ibi sunt, quae trahentur in dubium utpote quomodo lux coloretur de curuitate caudae etc. Benè vale et me amare non desine Germaniae nostrae Mathematicum decus et mea operâ si placet utere: P. Ziglerus mihi promisit, si aliqua habes excudenda Mathematica, quod Moguntiae procurabit, et ipse correctioni interesse velit. Insprugh 13 Mart. 1619.

Di V. E. ra.to Ill.re et Eccell.ma aff.mo Ser.re
D. Gioan. Remo Quietano

Id quod proposuisti pro enucleanda distantia ☉ à ⊕ in Ephemeride 1619. obseruabo hoc mense, si serenitas affulserit: nam 22. Mart. debet esse Lincij ultima Quadratura visibilis hora 7. 20′. P. M. si distat Sol à ⊕ 3000. semidiametris, prout dudum Parallaxes ☌ me edocuerunt. Sed habenda etiam erit ratio aliqualis Parallaxeos. Ego et Scheinerus diuersis locis obseruabimus. *122r*

Eclipsis ☽ hujus anni excedet tuum calculum per $\frac{1}{2}$ horam, durabit enim 1^{H}. 1′. etc. sed per perspicilla optica obseruandum erit, videbis in principio umbram annubilatam etc.

Quaeso mihi ignoscas quod sim adeo importunus: cuperem habere locum ♀ et ☿ ad diem 22. Septembris st. nouo 1588. horam 9. P. M. Sol est 29°. 44′. ♍. tempore meae natiuitatis, mihi ut puto ☿ in 15°. 4′. ♍ et ♀ in $20^{\circ}\frac{1}{8}$. ♎. Sed omnia tempore commodo.

834. VINZENZ BIANCHI AN KEPLER IN LINZ

Venedig, 14. März 1619

Pulkowo, Sternwarte, Kepler-Mss. Bd. XI, Bl. 200–201. Eigenhändig

200 Perillustris, et Excellentissime Vir Singularissime.

Acceptis nuper tuis litteris, eas statim auiditate incredibili perlegi: moxque tibi rescribere uolui, ne tardus in referendâ gratiâ uidear pro tuis fauoribus. Tu me magis quotidie doces: et ego, tuum me posse esse discipulum, laetor. Res enim, quas nosti, praeter exemplum sunt, et ex tot litteratis uiris nemo potest ad te aspirare. Directionum tuarum noua forma sublucet mihi, quam quidem à diurno Solis apparenti motu deriuas. Sed cùm librum nondum habuerim, in quo rationes reperiam, fundamenta, et pericula tua, non diffundar in multis. Scito tantùm, Dominicum Mariam Ferrariensem, Copernici praeceptorem, fuisse unâ ferè simili dirigendi uiâ usum. Scripta egregij huius Mathematici apud Abbatem Ludouicum Marcellum, meum consobrinum, sunt. Tu dirigis † Lunam eodem modo, quo Solem: Dominicus Maria Ferrariensis non. Tu subsequenti Solis motu diurno unius eiusdem anni (ni fallor) metiris directionum omnium spatium: Ferrariensis in singulos annos motum Solis diurnum uenatur. In Sole etiam quidpiam singulare aliud, dirigendo, anquirit, quod non benè modò recordor. Experientiam tamen, quemadmodum naturalem tuam rationem, existimo tibi palmam daturam.

Sunt qui non ad circulum positionis, sed ad locum Declinationis significatorum, pro ut ad ipsum punctum contactus, dirigunt radios Planetarum, mouendo tantummodò Sphaeram super Polos mundi, et à centro Planetae diductis radijs orbicularibus. Sic quandoque in Eclipticam, quandoque in Aequatorem, interdum aliò, cadit radius impingens per directionem in loca Aphetica. Modus iste dirigendi fuit recens Romae excogitatus.

Tychonis Brahei occultam directionum uiam te nequaquam latere, opinor: propterea hanc fac mihi pro tuâ ingenuitate gratiam, illam aperire. Si quid est enim praecipuum in totâ Astrologiâ, et necessarium, profectò directionum scientia, certitudoque quammaximè est.

De motu Terrae postquàm diuini tui ingenij felicitate plura disseruisti, maneant omnia. Neque ego in capite, aut in calce Operis aliam de me apud credulos, et imperitos facerem excusationem. Dissimularem silentio quae tanto Romae sunt acta rumore. Satis est, superque, caussam suam coactos sustinere. Sin disputandi, contemplandique facultas ab hominibus tollitur, uoluntas quoque, et anima deleatur humana. Degebam

Romae, cùm monumenta Copernici omnia, eiusque nomen parum abfuit, ne abolerentur. Dixi, quae Iudicibus displicerent, adimi: quae ignorarent, posse relinqui. Ergo non adeò rigidus fui, ut unquam Telluris motum affirmantibus sim obuersatus. Vix possum contineri in expectandis tuis Harmonicis: tantâ ardeo cupiditate et studendi libro, et ea excipiendi, quae de illo scrupulosi possent blaterare. Per petulantiam iam uideo quosdam | fortiter motui Terrae rursus obsistentes: sed per 2009
inscitiam complures opinionem de Genijs profundissimam tuam euellere connitentes. Quomodòcunque res sese habuerit, tu tibi nominis immortalitatem comparaueris. Et ego tuus opportunè explorator ero, relator, protector semper, uerus amicus, et seruus.

Animalem facultatem in Elementis ponere, praesertim in Terrâ, ut tu facis, scimus, antiquos nonnullos contendisse Philosophos. Sin uerò nobis, quoniam Christiani sumus, haec, et similia speculari interdicitur, possumus ab acuendo ingenio desistere, et lumina mentis extinguere, penetralia abhorrere naturae, et uirtutem, ueritatemque tanquam mortuam recondere. Igitur quid in hoc proposito expectas, ut tibi ego respondeam? Quod cogitationes mirabiles non enarres tuas? Quod, quia documenta non facilè capient tua rudes, et indocti, tu propterea sapientes non magis edoceas? Aristoteles Physicorum libros non ad stolidum Graeciae uulgum, sed ad praecipuos Athenarum Philosophos scripsit. Sic tu, non uulgaribus hominibus, sed summis uiris Harmonicorum uolumina mandabis. Quod iam uideo te ipsum annuisse in tuâ Admonitione ad Bibliopolas, plenâ eloquentiae, plenâ grauitatis, et religionis. Motus Terrae si paruo negocio, aut ex siderum positu, aut ex maris fluxione, aut ex insitis caussis, aut ex Mathematicis rationibus conijcitur; facilioribus, et amplioribus argumentis facultas animalis probabitur in ipsâ. Atqui etiam, si Terra non moueretur, rationes non deficerent pro animali suâ facultate. Ex quibus aliorum nonnullae si rationibus tuis intersererentur, radioli essent subobscuri cum clarissimis tuis luminibus permixti.

„Cedamus Phoebo, et moniti meliora sequamur. †

Mittam cras accersitum Bibliopolam (quia hodie uesperi cùm hinc discedat cursor Augustae, uolui tibi statim rescribere) et illum conueniam de Ephemeridarum, aliorumque tuorum librorum numero. Inquiram quaecumque mandas; et de omnibus te postea quàm diligentissimè faciam certiorem. Libri, quos ad me mittis, adhuc in itinere sunt. Auro ornabo illos: et illi animum inaurabunt meum. Neque obliuiscar fauorem.

— ἀνδρί τοι χρεὼν
μνήμην προσεῖναι, τερπνὸν εἴτι τοῦ πάθοι. †

Effectus sic incipiam experiri directionis trigoni radij ☿ ad Horoscopum meum, acceptis tuis Operibus. Mentem enim praeparo ad magna per-

discenda: quaeque à fontibus hauriam sapientiae tuae, mihi pro felicitate erit. Vnum doleo, me nescio quo alio tuo indigere auxilio.

Das mihi praeceptum facillimum in tuis litteris, ad inueniendum per solas Secantes radium trigonum, uel hexagonum in Eclipticâ Planetae habentis latitudinem: illud tamen nunquam rectè potui intelligere. Sit quaeso pro exemplo ♂ in P. 11. 41′. ♋ cum latit. P. 2. 54′. et quaeratur trigona eius radiatio in ♏: quonam modo hîc utar solis Secantibus? Ridet forsitan D. T. Excell. huic meae indigentiae exempli. Sententiam quoque tuam desidero de doctrinâ Joannis Blanchini, et aliorum multorum, qui in circulo super Eclipticam inclinato, et per centrum Stellae habentis latitudinem transeunte, accipiunt radiationes: et ita dimidiam latitudinem, sed diuersam, obseruant in trigonis. At de Antiscijs quid censes? Parsne 6. Arietis respicit partem 24. uel 25. Virginis? quantâ latitudine? quâ efficacia? | Non miraberis tot meas interrogationes: quia discipulus ego sum, tu mihi magister, et dominus.

Quidam Princeps Italus, Astronomiae studiosissimus, scripsit mihi superioribus diebus, se habere Tabulas peculiares motuum ♀ et ☿ confectas à quodam Mathematico Belgâ, iuxtà recentissimas ipsius obseruationes per decennium: et quoniam supputauit locum ☿ in meâ genesi, uolui exemplar ad te mittere.

S.	P.	′	″	
8.	0.	0.	0.	♄ anni 1582. completi.
			12.	Mensis Febr. completus.
			2.	Dies 14.
8.	0.	0.	14.	Apogaeum ☿.
6.	20.	31.	7.	♄ anni 1582. completi.
7.	16.	50.	0.	Motus ad diem 14. Martij.
	1.	8.	45.	Hor. 9.
		4.	40.	Min. 45.
2.	8.	34.	32.	Argumentum medium ☿.
11.	21.	47.	39.	Longitudo media ☿ ab Aequinoctio.
8.	0.	0.	14.	Apogaeum subtrah.
3.	21.	47.	25.	Anomalia Eccentrici.
	2.	30.	11.	Aequatio Centri subtr. à longit. mediâ, et Add. Argum. medio.
11.	19.	17.	28.	Locus ☿ Eccentricus.

2. 11. 4. 43.	Argumentum uerum. – 13816. Tangens 1291700.
Itaque quinque locorum consensu latitudo Meridiana visa maior, et Romae lat: visa Sept: minor (· quem consensum tamen in quatuor locis eluserit quis optica ratione ampliationis Radiorum ·). Rursum Duispurgi et reliquis locis praeter Tubingam, ubi nihil huius, omnibus maturius apparuit. Remedia puto iam expressa in proxima Eclipsi. Nam de nodo nulla spes; minus ille cedit quam Terminus lapis. Si tamen abijcienda temporis aequatio mea, peribit una bona phantasia: nec id potero in gratiam duarum Eclipsium, quod plurium aliarum suffragijs est roboratum. In summa, res mihi recidit in tanta multiplicatione principiorum ad illam periclitationem chartarum de qua in lib: de stella nova cap. 27.

Optas me iuvare posses. Potes et arte et intercessionibus: sed ab arte nil peto, pistrinum hoc tuos lacertos non debet fatigare, extensos ad nobilissimas curas, nec enim aliter posses nisi aliena, hoc est mea principia sequens quod est ignobile, praesertim erronea. At intercessione potes: si de meo aulico salario, seu iam debito, seu adhuc currente (·nemo enim renunciat·) tantum mihi numeretur unde Gringalletum meum, iam dudum dimissum ob difficultatem temporum et nullum salarium, postliminio revocatum sustentare, unde Epitomes partem Theoricam typis

282) ambiebat 284) prorumpetos 286) an tactum 287) observationes tollerandam
308) iuvares posse. 311) quid 313) nummeretur

excudere possim; quia etiam Crugerus meus ut vetulus equus in lacunam procubuit.

Denique scito non mea impietate, sed conditione negociorum librariorum innixam esse gloriae dei indemnitatem meam in opere Harmonicorum. Tu si multos operis lectores excitaveris, multa mihi Exemplaria distraxeris (·nam centum mihi typographus pro labore reliquit cum conditione, non donandi nec vilius vendendi quam ipse vendit·) pro praesenti pecunia; res meas domesticas sublevabis meque in dote filiae corroganda adiuvabis, quae dudum occultis annorum currentium machinationibus Hymenaeum invito etiam patre citat arcessitque, nisi me † fallit suspicio.

Valde sum recreatus ex eo, quod Tibi cum D. Tegnaglio familiaritas. Qui dum commendatitias pollicetur; video quid factu opus fuisset, saltem quid me dignum, ut praefigerentur illae libro, ut Commentarijs Martis. At elapsa est occasio. Iam Francofurti puto excusam dedicationem cum Titulo Generali. Si tamen non dedignatur privatim scribere; nec ego curam transmittendi dedignabor, sed gratus accipiam reddamque.

De canone logarithmorum instaurando recte mones. Jam est in promptu methodus mirae facilitatis, adeo ut industrius aliquis scriptor, qui tantum sciat emendate addere, correctissimos sit adiecturus omnibus numeris simplicibus ab 10000000 per 9990000. 9980000 usque ad 10000, et ab 1000000 per 999000. 998000 etc. usque ad 1000 et ab 100000 per 99900. 99800 usque ad 100, et ab 10000 per 9990 usque ad 10, et ab 1000 per 999. 998 usque ad 1. Erunt mille | Logarithmi in una facie papyri maioris. Valebit in minutiori simplicium accuratione, ut inter 100000.00 et 99900.00, inter 200.00 et 100.00 valebit inquam proportionalitas. Hic igitur ordo maximorum simplicium a 100000.00 usque ad 100.00 praecipuus est; in reliquis quatuor unica additione habetur logarithmus numeri similis. De 1000. secundi ordinis iam 100 sunt in primo, et sic consequenter. Quod si numerus quicunque 7 figurarum terminetur cyphris 3, aut 6 fig: cyph: 2, aut 5 fig. cyphra 1. habetur et eius logarithmus non proportionaliter, sed per unicum. Haec erit utilis tabula etiam usitatae Arithmeticae. Ipsorum vero sinuum Logarithmis ad secunda non valde est opus usque ad parvitatem Gr. 7°. Ab eo usque ad Gr.o. M.10 habeo ad dena Logarithmos, inde ad G. o.o.o. ad singula. Praeterea Antilogarithmis opus est accuratis a G. o.o.o. usque ad G. 1°. 32′. o″. circiter. Ij vero habentur ex Pitisco inter excessus sinuum, usque ad G. 1.o. ad dena secunda initio ad singula. Restat ut etiam usque ad residua 32′, ultra G. 1. sic exarentur: tantulo enim Pitiscus nimium cito abbreviavit scrupulositatem suam.

327) increatus 328) factum 347/348) Arithmetice.

Sed nimio satis in turbis Nundinalibus. Obsecro quid mihi accidit, quod misi descriptum pueri mei, non meam manum? Soleo ab illo descripta exigere sui exercitij causa. Attonitus in meum chirographum incidi. Quaeso num etiam correcte scripta? num etiam a me revisa? Accipe tres reliquas paginas Ephemeridis et vale. Si quid librorum petis, solve ei, qui has tradet Lindelauff Mercatori; per eum enim poteris habere quam primum. Exemplar Harmonicorum, etsi nondum est completum, mitto tamen, ut interim legas tradendum denique Leopoldo Archiduci. Si D. Abbas a Cremsminster posset impelli, ut me urgeret in Editione Epitomes Astronomiae, sumptus ipse locaret ad 200 fl: interim dum distractis aut Mercatori permissis exemplaribus summa ipsi restituatur: id recte et ex commodo meo fieret. Mitto hic etiam Ephemeridum seriem pro D. Dengnaglio, cui salutem et officia nuncio. Vnam etiam Ephemerida infero Bibliothecae et hactenus eam dabis alteri Dengnaglio. Vale. Tricesimo primo Augusti.

851. GEORG CHRISTOPH VON SCHALLENBERG AN KEPLER IN LINZ

Leonbach, 14. September 1619

Wien, Nationalbibliothek, Cod. 10702, Bl. 348–349. Eigenhändig

Salve Clarissime et nobilissime Domine Kepplere amice longè amantissime: Aestuo tui desiderio, et cum te diu nec videre vel convenire potui nunc per literas te salutatum venio: et rogatum si quae nova, et gustui nostro (satis curioso et delicato) convenientia habes nobis communicare velis: cum desiderio tuum harmonicum opus illustre expecto, praeparatoria facio ex illius de Fluctibus scriptis quae his satis affinia, in illis operam et studium jam impendo, sed abstractior est labor tuus et sublimior, qui plura contemplativa et per hoc nobis magis grata tractat: Publicus rumor de nova Stella mussitat, an verum vel inanis aura nescio? Rogo mi Domine, si Prognosticon praeteritj annj illius de Arch: de quo nuper mihi dixisti tecum habes illius usum ad biduum saltem concedere et per hunc meum ministrum mihi transmittere velis, sine laceratione vel laesione gratus restituam: an Brandenburgi Electoris obitus sit certus haereo? Foetum mirificè reformat, antiquos putridos truncos amolitur et nova germina florentia surrogat quae magis paria ad laborem Futurum | ferendum satis inquietum et molestum: Si quicquam recentioris vel de fraternitate vel alijs novellis habes: quaeso fac me participem et porrò me quod facis amare perge: noli indignarj nugis

348 348v

362/363) correpletum 368) scirem *statt* seriem

meis, qui te saepius satis occupatum interpello: Rari sunt litteratj cum quibus me recreare et animum meum apud quos diffundere possim. Vale et pro pace mecum Deum precare. Leonbachi 14. Septembris Anno 1619.

Tui amantissimus
Görg Christoff von Schallenberg mpp.

349v Dem Edlen vnd Hochgelertten Hern Johanj Kepplero mathematico des Erzh. Oeſt. ob der Enß meinem vertrauten geliebten Hern vnd freint. Lintz

852. JOHANNES REMUS QUIETANUS AN KEPLER IN LINZ

Wien, 4. Oktober 1619

Pulkowo, Sternwarte, Kepler-Mss. Bd. XI, Bl. 130–131. Eigenhändig

130 S. P. D.

Clarissime ac Eccellentissime D. Keplere, tuas 31. Aug. datas accepi Mense Septembri, una cum Ephemeridibus pro D. Tennagel et Bibliothecario; tradidi ipsis singula; Dominus Tennagel tibi ipse scribet multa et varia etc. iterum est in itinere, redijt nuper ex Vngaria iturus in Poloniam infelici sane successu. Accepi etiam Harmonica et libenter tradidissem ea Serenissimo nisi tot negociorum multitudo plane alia suaderet ad legendum tempora, vix enim respirare potest optimus Princeps et tamen alacriter omnia sustinet. Causam quod retardauerim responsionem ad tuas accipe. Dominus Wacker inprimis fuit una, qui † tamen lethargo obijt post longa nostra consilia. Altera Serenissimi nostri indispositio scilicet defluxionis causa ad spinam dorsi schiaticae in fieri non absimilis, ex qua tamen post triduum conualuit et jam optimè habet.

Mirabilia nuper inueni de proportionibus et magnitudinibus Corporum Coelestium eorundemque distantijs, quae omnia ab inuicem pendent, simul etiam Lunâ non exclusâ, quae tamen antequam perfectè corporum coelestium diametros per tubum dimensus fuerim et comprobauerim, publici juris non facere possum, transibat eodem die mihi ☿ geniturae dominus per △ horoscopi exactè. Mirum est quantum recreatus fuerim ex tuis literis, quas plusquam vicies legi. Venio ad Epistolam ipsam et quidem breuissimam, per labores continuos omnia percurrere non licet. Ex Alsatia tamen Deo dante melius et largius respondebo, nam tunc ero intra meos parietes. De pediculis risum mihi non inanem mouisti, ego ipse in Inquisitione Romana aliquando tot interfeci, quot habet

Sinus ordinarius 5. cyphris figuras. De Cometa edidisti tractatum Germanicum was ieziger Zeit zu thun sei bei diesen leuften, ubi plus Theologum quam Mathematicum egisti. Item ich weis ein thier etc. omnia fuerunt in ancipiti, et quilibet suo modo interpretationem addidit; Ergo clarius scribere poteris, ne tua infringatur existimatio et auctoritas. Prognostica tua germanica videre non licuit, nam D. de Meckau jam factus Comes, statim discessit cum Imperatore; tum librarij conquerun- tur, quod nihil habere possint abs te. Ex meo tractatu Oenipontano nihil † certi haberi potest, nam in distantijs posui de nocte oculum extra pinnacidia, probaui per distantias turrium de die et notabilem reperi differentiam, et secundum hanc reliquas correxi, sed Azimutha et altitudines diligentius captae fuerunt, Polum tamen reperi post diligenter 47°. 18′ non 46°. 44′½, nam per Gnomonis errorem 30′. et amplius minuta defecerunt, quia ubi debui addere semidiametrum ☉, subtraxi etc. Hinc reliqua aestimanda; cum tempore enucleabo omnia. | Sic est, *130r* Mense Septembri etiam obseruatus fuit Graecij à P. Paulo Guldin Cometa sub Vrsa, et à te, ego non vidi unquam, nec admodum ut verum dicam solicitus fui de eo. Dubius sum in maculis pro materia an sufficiant ad tantam molem. 2. Verisimilius puto Cometam istum Tellurem pro Centro sui motus habuisse, et Retrogradationem ex Circulo annuo natam fuisse, nec ad ♀ altitudinem aut contactum ascendisse, sed extra Lunarem semitam diuagâsse: Haec opinio non demonstratio est. Tamen non refert quod motus Cometae 3° circiter praejudicat Saturni motui et loco; nam non potuit esse tanta moles quanta Saturni, non igitur tantum pondus, non igitur tanta mensura motus etc. Iridem vidi dimidium Viennae 2. Octobr. H. 4.15′. P. M. inter Graecum et Leuante, non durauit ultra quadrantem. Scripsi Galilaeo quaedam et copiam tibi transmitto. † Credo quod calleas quodammodo Italicam linguam, si legisti remittas quaeso. Quae doctè et pererudité explicas de Iride et Halone jam non valet nec genius nec tempus, nec enim adeo felix aut exercitatus sum in sectionibus Conicis, exoptarem Magistrum ut verum fatear. In Alsatia coelum fuit turbidum tempore Eclipsis Lunaris, etsi mea horologia erant correcta. Audiam tamen breui quid Romae fuerit obseruatum. De extrema ora Lunae jam amplius non recordor, nisi me de nouo moneas. Intricata res est quod Luna sit tardior in prima semisse diei quam in posteriori, Vereor ne nimium speculationibus Physicis tribuas et fortè ex affectibus decipiaris, nam ego non video, cur Luna debeat habere easdem inaequalitates prout reliqui Planetae, Luna enim non ambit Centrum Vniuersi scilicet Solem; et si habet aliquam inaequalitatem non habebit aliam quam Eccentricitas cujusque Planetae in Epiciclum redacta: Nisi per tubum obseruauerimus congressus Lunae cum

fixis et tempora simul diligenter annotauerimus nunquam ad finem perueniemus. In reliquis consentio quod medium Eclipsis notet perpendicularis in semitam Lunae ducta. Inter arcum latitudinis (·scilicet ad orbitam Lunae reductum·) et latitudinem vix notabilis erit differentia.

De eclipsi ☉ 1612. omnia tibi concessero si prius tuam nouam aequationem temporis clarius comprobaueris, nam et mihi in meo nouo calculo nullus scrupulus si eam adhibere tutum esset, sed multa in contrarium adsunt. Nam quod tu putas esse in physica retardatione Telluris illud idem apud | Reinholdum, Braheum est in Composita Eccentricitate Solis, est idem per diuersa, sit ipsis una pars optica, sit tibi physica in aequatione. Ego notaui Romae 4^{3D}_{4} sed absque tubo insigni, reliqui cum tubo. Vix 4. Digitos annotauerunt. Scribis de Monachio cum tamen erat Ingolstadij. Calculum tuum examinare non licet, nam in bursa per postam omnia transportare non licet, nec Viennae inuenio quod cupio, neminem enim ibi inuenio, licet multos nomine etc. Ac quod aequatio tua adhuc sit dubia in tempore, haec 2. argumenta accipe: 1. Ponis principium Vranob. 1616. 26. Aug. ☉ in 3.54′ ♍ versante (·long. Vranob. 36. 45′·) 1^{H}. 21′. 23″. mihi vero ex Romana obseruatione 1^{H}. 45′. quomodocunque limites Meridianos positus mihi non effugies, nam Lintzium positum est respectu Vranoburgi et Romae: quae igitur causa? Certè non alia quam tua 20′. exorbitans subtractiua aequatio, et alius in Semidiametro ☽ et Vmbrae excessus, quae tamen sunt minora, imò minima, nam de aequationis Lunae periculo nulla querela, cum ☽ tunc fuerit propè Perigaeum Epicycli, et ut habeas confirmationem de Eclipsi quae desijt 9^{H}. 47′. 52″ Romae 1617. 16. Augusti Sole in eodem ferè loco versante, ac aequatione temporis consimili, de qua etiam gloriaris in fine enucleationis Eclipsis (·nam differentiam Romae et Lincij 10′. circiter facilè admitto·) ecce tibi oppono erroneam tuam physicam aequationem justo majorem 5′. ferè, quae faciunt 10′. temporis plus minus, ecce tua et Tychonica aequatio praecisè 10′. horae differt. Lis igitur perempta est, aut utrinque anceps et dubia, nam quod in Planetis reliquis qui circulos habent majores euenit, non ita facile in Luna, quae potius tellurem quam Solem respicit. Conciliabis mihi ista duo, nam aut una aut altera Eclipsis corruet. Imo putas Vranoburgum esse occidentalius Tubinga? nam Maestlinus obseruauit 1616. 26. Aug. p. m. 1^{H}. 33′. Tubingae. Tu autem ex tuo calculo 1^{H}. 21′. 23″ Vranoburgi quae nouitas? De binis Centralibus Eclipsibus Clauianis mihi nullum negocium, ego comprobo in Conymbra totalem cum mora spacio unius Miserere. Sic mihi retulit socius Clauij obseruatum fuisse, et in Romana relinquitur mihi adhuc etiam circulus quem in justa figura depinxi et monstraui ipsi Clauio asserenti talem proxime se vidisse; nam nec Jes-

senio, qui non est Mathematicus, nec Neapolitanis ineptis multum fido. Habeo Viterbiensem Eclipticam obseruationem quam opponam 1605. prout suo tempore videbis. Altius erit eleuanda Luna; Refractiones Solis minuendae propter minimam Solis Parallaxin, nec ulla forte inter fixas et ☉ et ☽ Refractionis differentia; et multa alia corrigenda.[1]

Juuare jam te vix licet propter belli sumptus innumeros; vix aliquid ex mea prouisione habui, ex Caesarea planè nihil. Hinc reliqua cogita. Loquar tamen cum D. de Meckau tuo nomine; locutus etiam sum cum D. Moschinger qui promisit quidem omnem operam; jam aegrotat nescio qua de causa. Si placet (·sed in Alsatia apud meos, nam jam Alsata sum; meliorem enim terram non vidi nec quietiorem aut simpliciorem ut sic loquar et magis cordatam gentem·) jube et impera pro opera tua, gratum mihi erit. Edam suo tempore aliqua quae tibi et tabulis Rudolfinis non erunt ingrata, tu Copernicus eris ego infelix Reinholdus, si non ego certè in Italia inuenies qui tua compendia deducent ut Maginus fecit et extendent ac expandent, et tuos labores et sumptus supprimet, ergo videas quid faciendum. Addere licet aliqua in stellis fixis et Eclipsibus, si tibi placuerit communicabimus ad inuicem et si placuerint adjungas, lucrum tibi omne relinquo, saltem mea inuenta nomine mihi relinquendo. D. Tennagel malè habet quod omnia immutes Tychonica; et misceas tua cum Tychonicis, latius ab ipso percipies. Rem gratissimam juuentuti facies in logarithmis majoribus. Certè descriptum filij tui non satis intellexi, sensus enim mansit in aliquibus locis obscurus. Dominus Abbas de Cremsmunster pollicitus est omnem operam uti petijsti, scribe saltem ipsi, ipse dabit occasionem et omnia requisita et modum. Transmitto Vngaricum Ducatum pro opere tuo, quasi meum esset Harmonicum, reliquum à Serenissimo tibi compensabitur, sed cum ocio et occasione siue temporis commoditate, jam enim reuera non licet.

Vale et quamprimum rescribe; si liceret per otium aduolare ad nos pro tua persona haberes occasionem apud me in habitationibus aulicis Eckenbergianis, et tabulam in aula facile impetraturus sum. Sed non manebimus ultra 3. aut 4. septimanas, forte per Lintzium reuersuri in Alsatiam. Benè Vale et citissimè, si per otium licet rescribe. Viennae raptim 4. Octobr. 1619.

Audiui hodie Fabricium à Rusticis interemptum fuisse ante biennium à nostris **Calenderverkauffern**, certè doleo si verum est, libenter viderem suas speculationes. †

Clariss. D. T. Officiosissimus

J. Remus Quietanus

Randbemerkungen Keplers zuZ.30: Illa tamen Cometica ex tuis exscripta. *Zu Z. 55:* De alia sectione loquor ego. *Zu Z. 58:* Vix ipse capio, quid monuerim. *Zu Z. 59:* Atqui vulgarem hic sequor astronomiam. *Zu Z. 61:* Haec hic ἀπροσδιόνυσα sed alibi tamen dissolvenda. *Zu Z. 69:* Nulla sanè nisi emendatae nomenclaturae. *Zu Z. 74:* Nequaquam. *Zu Z. 75:* Non aliud est, et quidem certissimum etiam de ☽. *Zu Z. 77:* Nota hoc: Mea certè scheda ab Herwardo missa prodit Monachium: sed in Eclipsi 1614. ubi H. 2.30. At hic agitur de Eclipsi 1612. de qua Scheinerus, qui sane habet $2\frac{3}{4}$ in Maculis. *Zu Z. 84:* Jamdudum ego hujusmodj argumentis locum reliqui. *Zu Z. 91:* Hoc confirmavi meam temporis aequationem. Observatio mea ut et calculus dant finem Lincij H. 9.59. Confirmatur differentia Meridiani Romae et Lincij. *Zu Z. 100:* Male colligit. Non probo calculum in momento, nam id arguitur à tribus locis Roma, Tubinga, Lincio, sed tantum in morâ in tenebris.

853. GEORG CHRISTOPH VON SCHALLENBERG AN KEPLER IN LINZ

o. D.

Wien, Nationalbibliothek, Cod. 10702, Bl. 344. Eigenhändig

† 344 Clarissime Domine, percepi te habere exemplar Famae Fraternitatis cum figura Sepulturae Patris Ch. R. C. quod si ita quaeso mihi concede ad horulae vsum; quaeso an Crusius Stud. med. adhuc hîc comoratur an Viennam abierit. herj de Wakero multa audivj, pro Atheo, homine ferè Trium litterarum mihi fuit comendatus, de quo plura si te invisero, quod hodie vesperi fiet D. V. Vale à Tuo

Georg. Christophoro à Schallenperg mpp.

854. LUDWIG BARBAVARIA AN KEPLER IN LINZ

Mailand, 11. Oktober 1619

Pulkowo, Sternwarte, Kepler-Mss. Bd. XI, Bl. 239–242. Eigenhändig

239 Clarissime et Doctissime Vir. Pergratae mihi fuerunt literae tuae, quas 26. Augusti Lincij datas hodierna die una cum Ephemeride in annum 1620. et complemento Harmonicorum abs D. Rescalea accepi, gratiores autem eo nomine acciderunt, quod silentij mei causam in se ille transtulerit, nec inurbanitatis notam apud te passus sit me subire, ueritatem non denunciati discessus sui aperiendo, quemadmodum ex


alijs, quas 8. Septembris exaratas ad te misi, colligere poteris; nunc † autem intra tam angustas temporis metas coarctauit, reditum isthuc in crastinum significando, ut pro desiderio meo longior in rescribendo esse nequeam, etsi, ut par est, in gratijs agendis nunquam cessabo.

De Epitome Astronomiae Copernicanae, quid actum sit, intelligo te resciuisse ex eodem D. Rescalea, quomodo librum in aliena potestate dimittere sim coactus, uerum gratulare, quod is heri postliminio tandem redierit, facultatem namque illum legendi ab Vrbe impetraui, cuius concessionem in sua non esse potestate Inquisitor noster hic affirmarat, corrigi tamen debet ad exemplar castigationis in Copernici libros de reuolutionibus, quae nuper Roma prodijt, telluris motum è medio tollendo, ubicunque pro uero asseritur, uerbaque huiusmodi substituendo, quae illum pro dato sed non concesso supponant, atque ita hypothesis Copernicana superstruatur. Memini tribus iam ab hinc annis opinionem istam de motu telluris nescioquem theologice defendendam † suscepisse, hoc est uniuersis Sacrae Scripturae locis, quae illi sunt contraria, pro sua sententia respondisse, ex quo factum est, ut Sacrae Generalis Inquisitionis edictum illum emanarit, defensionem hanc damnans, assertionemque ipsam de motu | telluris, uti germanae Sacrae 239v Scripturae interpretationi aduersantem, erroneam declarans. Hac de re tota certiorem te facere uolui, ut, si forte nescias, lucubrationibus tuis in posterum caueas, consiliumque illud capias in harum editione, quod prudenti iudicio trutinatum è re tua magis futurum existimabis, nam, ut ille ait, est quodam prodire tenus si non datur ultra.

Excitatus monitione tua de tabulis Rudolphi, extremam illis manum esse iam appositam cogniturum me sperans, legi cursim dedicationem Ephemeridis transmissae, uerum spe ista frustratus illud saltem uoluptatis coepi, quod aliunde subsidia tibi etiam uideo accedere, ab Illustri nempe Viro Jo: Nepero, cuius in arithmeticis pertractandis subtilitatem et ingenium, quamuis librum de quo scribis ipse non uiderim, ex eiusdem libello de rabdologia inscripto conijcere potui, statimque virgulas ab eo monstratas elaboraui, quibus non parum in diuisionibus numerorum leuamur, unico etenim aspectu diuisoris facta prae oculis habentur, quamquam ego iam antea cum magnus occurrebat numerus in pagella solitus eram extendere facta eadem, unde per subtractionem solam diuisio perficiebatur. Sed hic locus me admonet, ut in eadem pragmatia Planetarum loca supputandi, omissa trianguli solutione, per quam angulus ad terram inquiritur, quid mihi postremò uenerit in mentem amice tibi aperiam, speroque à te rationem meam probatum iri. Generalibus enim fundamentis innixa distantiarum Solis à Terra, Planetae item à Sole, prout acciderint, aequationem maximam inuestigat, qua

mediante ad eundem prorsus modum, quem Maginus in Ephemeridum |
240 supplemento adhibuit, nos in loci Planetae ex Terra uisi cognitionem
50 adducimur, Generalisque Positionum tabula eiusdem Magini huic rei mirifice deseruit; experimentum in Marte sum aggressus, ex elucubratis à Magino distantijs, quae in eodem supplemento habentur, tabellam generalem aequationis huius maximae supputaui, eaque ad calculum reuocata expectationi respondit optime. Vsus autem talis est forma, collectis, ut praestant tabulae, medio Martis motu, Apogaei loco, seu Aphelij, ut dicis, Nodique item Borei, locus in Orbita Planetae corrigitur per aequationem, moxque ad Ecclipticam reducitur, perquiritur etiam distantia Martis à Sole, quae pariter ad Ecclipticam reducitur; cum hac et anomalia Solis in mea Tabella, aequationem maximam, pro
60 datis facta correctione per partem proportionalem, inuenio, quae addita uel subtracta, è quadrante loca stationum patefacit, et arcus semidirectionis, uel semiretrogradationis, quibus adhibitis et in Generali Positionum tabula repertis, elongatio Planetae à Sole, uel ab eius opposito, prout in alterutro semiarcu existit, arcum Positionis dabit, ex quo tandem locus Planetae habetur ex Terra uisus, et sane adamussim nisi quatenus Planeta uersante in arcu retrogradationis minutula possit accidere deuiatio, inde proueniens, quod in Generali Positionum tabula singulis Positionum gradibus pauciora respondeant minuta distantiae à Meridie,
240v in arcu seminocturno, quod perinde | fuerit ac si diceremus, ut ego as-
70 sumo, quia existente Planeta retrogrado maior est à Terra angulus inter ipsum et Solis locum oppositum, quam ex Sole, Terra et Planeta conspiciantur, nam in tabula illa Generali, distantia à Meridiano pro elongatione Planetae à Sole, arcus uero positionis pro angulo ad Terram,
† assumuntur. Exemplum tabellae meae his adiunctum erit, ut si libuerit, periculum ipse quoque facias, librum enim Magini ad manus tuas peruenisse non me latet. Hoc unum addam, quod illius Generalis Positionum tabulae uices, et multo promptius, supplere possent, Generales aequationum tabulae, datis maximis respondentes, quae nulli certae theoriae alligatae essent, sed generaliter cuicunque Planetae inseruirent
80 pro maxima aequatione inuenta, ita Maginum factitasse uides, nam Marti et Veneri aequationes easdem tribuit, numeris tamen suis my-
† sticis respondentes, quorum mysterium me reserasse intelligere potes. Scripseram ad te doceri cupiens, undenam euenire iudices loci Martis euariationem, quae à Magini tabulis exurgit, non enim praecise tuis Ephemeridibus respondet, atque uiam Planetae, ut asseris, Ellipticam considerans alias etiam distantias à Sole ipsum assignasse gradibus anomaliae percipio, quae causa differentiae possint euadere, uter autem scopum attigerit obseruationes tantummodo possent in lucem proferre,

quibus equidem libentissime incumberem, nisi requisitis medijs destitutus essem, competentibus nimirum instrumentis, nec fabricandorum spes ulla sit, cum idonei tam subtili machinationi desiderantur fabri; Expleui folium, et ultra sum progressus, nihil tale cogitans, sed argumenti suauitate raptus, quare non patiar ad te uacuum peruenire paginae reliquum, sed, ut potero, inuenti mei schema tale subiungam.



Sit in Ecclipticae plano circulus C, E, D, F, cuius centrum A, Sol, diameter C, A, D, per B, terram inscendens, erit A, B, distantia Solis a terra, C, autem locus uerus Solis ex B, terra uisus, et consequenter illius oppositum monstrabitur per D.

Sit Planetae distantia à Sole data item A, C, ducatur diametro C, D, perpendicularis F, A, E, cui parallela per B, agatur H, G; erit maxima aequatio arcus F, H, respectu uariorum angulorum, qui ex A, et B, contuentibus Planetam in circulo C, E, D, F, se repraesentant; distantia igitur A, B, respondebit sinui arcus F, H, quare non ignorabitur etiam arcus ipse, per analogiam, ut se habet A, F, distantia Planetae à Sole data, ad A, B, distantiam quoque datam Solis à terra, ita eadem A, F, ut sinus totus ad eandem A, B, sinum iam dicti arcus maximae aequationis, quae maxima aequatio instar se habet differentiae cuiusdam ascensionalis, si mente concipias circulum esse planum alicuius paralleli, cuius communis cum horizonte sectio sit G, B, H, | consectarium igitur est, 241v aequationem maximam F, H, quadranti C, F, additam componere arcum semidiurnum uel semiderectionis Planetae, eandem uero subtractam a quadrante D, F, arcum semiretrogradationis seu seminocturnum constituere, puncta uero C, coniunctionis seu meridiei G, H, stationum, uel ortus aut occasus, D, postremo mediae noctis seu oppositionis, esse loca.

Fuerit proinde Planeta in I, uisus à Sole per angulum C, A, I, uidetur ille ex terra per angulum C, B, I, quem metitur arcus positionis tabulae generalis, inueniendus per arcum semidiurnum C, H, et distantiam à meridiei puncto C, hoc est elongationis Planetae à uero loco Solis.

Pari modo Planeta sit in L, distantia à puncto mediae noctis D, hoc est inter eundem et oppositum Solis, erit arcus D, L, mensurans angulum D, A, L, arcus autem positionis angulus D, B, L, ostendens Planetae locum ex terra B, uisum, quamobrem in Generali positionum tabula

seminocturnus arcus D, G, uel semiretrogradationis erit, ut facile contemplanti apparet.

Sed quid ego Mineruam instruo? melius tu me ista nouisti, haec solummodo ea ratione subiunxi, ut tibi animi mei sententiam uel conceptum proponerem, tuum erit ad ingenij tui Lydium ueritatis lapidem ista comprobare, quae si tibi non displicere intellexero, oleum et operam me non perdidisse gaudebo. Libentissime praxis huius calculum addidis-
242 sem, sed tanta | est D. Rescaleae ad discessum festinatio, ut nunc supersedere sim coactus, per aliam occasionem transmittam, tuque interim lituras excusabis, nec enim relegendi tempus conceditur nedum rescribendi. Vale, teque incolumem diu seruet ter Opt. Max. singulari cum reipublicae litterariae bono. Mediolani 11 Octobris 1619.

Dominationis T. Studiosissimus

Lud. Barbauaria
Can. Ord. Mediol.

855. JOHANNES REMUS QUIETANUS AN KEPLER IN LINZ

Wien, 11. Oktober 1619

Pulkowo, Sternwarte, Kepler-Mss. Bd. XI, Bl. 132. Eigenhändig

132 Clarissime ac Eccellentissime D. Keplere amice Carissime.

Binas jam ad te mitto literas; Petijt enim heri à me nobilis quidam Dominus Italus, qui suis sumptibus spectator existit hujus nostri incendij Germanici, omnia opera tua sed in Latino sermone, quae edita sunt (ein exemplar in allen oder ieder materia) ad instantiam cujusdam Medici et Mathematici Aretini, quem ego olim Romae cognoui juuenem sanè mirae velocitatis in Mathematicis maximè, saltem defuerunt ipsi praeceptores, ergo cum uiuos habere nequeat ad mutos confugit, et te prae alijs omnibus antesignanum constituit. Ille Dominus Italus
10 persoluet statim Domino Lindelauf pretium, modo tu Catalogum et valorem quamprimum mittas, si aliqua videro quae ego non habeo in illo catalogo te quoque rogabo ut mihi pro pretio justo mittas. Diameter Lunaris nimis est à te ampliata: observationes Eclipsis plusquam 5 ex duratione emersionis 1617. per tubum in diuersis locis (erat autem H. 1. 1'. ad summum vel 1^{H}. 0'. 30'') non admiserunt tantam magnitudinem, miro omnium consensu. Idem Galilaeus suspicatur. Transmittam tibi suo tempore (jam enim non possum ob difficultates itinerum) omnes illas obseruationes, si te illis ad minus juuare possem etiam meis

puerilibus annotationibus, nam et quae non prosunt singula multa juuant. Ego certè ardeo in hujus studij amore, et in senectute mea non dabitur mihi melior requies quam speculari in Mathematicis, hoc certè tibi persuadeas velim. Declinatio ☉ maxima mihi emergit ob Parall: ☉ tandem inuentam 23°. 30′. $\frac{1}{6}$, Eccentricitas ☉ composita 2°. 0′. $\frac{3}{4}$. Refractionum tabulae ferè coincidunt, sublatis Parallaxeon erroribus. Hoc valdè inseruiet ad obseruationes et Parallaxes ☽ certius enucleandas. Sic et Tycho aliquando inuenit 23°. 30′. $\frac{1}{2}$ ut tu ponis in Epitome, sed qua methodo, scire desidero, scribis enim: aliâ ratione. Quaeso per amorem Dei de latitudine Lunae, aut in futurum aut ex obseruationibus praeteritis me quietum reddas, nimis enim exorbitas à Tychone, et certe tua semidiameter Vmbrae nimis magna existit, hoc initia et fines Eclipsium coarguunt et tuus defectus est nimis magnus in oculis. Mihi semidiameter Vmbrae minima 38.′ 0″. Maxima 45′. 10″. Distantia ☉ à ⊕ 6543 Semid. T. hinc maxima Parall. ♂ parum ultra 1′. maxima ♀ 2′. in Perigaeo. Epicycli ut sic loquar more Scholastico ☽ est $\frac{1}{107}$. pars orbis sui, sic dimetiens orbitae ☽ in eadem proportione. Cum circulo annuo, mira proportio, mediocris distantia 61. semid. in physicis elongationibus tecum consentio, sed diametros Lunae paulo minuendas esse autumo. Ergo ☉ paulo altior euadet. Sed jam accurata lima opus non est, sumus in exitu ex Aegypto. ☉ euadit 30000 vicibus major Terra, hinc satis aptus ad commouenda reliqua Planetarum corpora. Rem mihi gratissimam feceris si per tuum amanuensem mihi dederis loca correcta ♃ ♀ ☿ ad annum 1597. 16. Jul. H. 10. 51′. antemerid: ad Meridian. Basiliens. et si placet etiam ♄, si modo tempus adest. Est thema meae sponsae et quod olim petij pro me in ♀ et ☿ 1588. 22. Septembr. H. 9. P. M. | Futura Eclipsis Mense Decembri ex meo Calculo ultimo sic se habet. Dist. ☽ à ⊕ 57. sem. facit Parall. 0. 59′. 58″. ☉ 0. 32″. sem. vmb. 0. 45′. 0″. lat. ☽ Tychonica, quam inuariatam retineo, ob Eclipses centrales 1567. 1560. 31′. 39″. Semid. ☽ 16′. 39″. Scr. defic. 0. 30′. Digiti Eclipt. 10. 48′. Mirum quod hîc omnes calculi proximè coincidant in duratione, licet diuersa habeant principia. Sed duratio minor erit quam tu et Tycho supputas, obseruatio dabit; Mihi Lincij sub 49°. 15′. Principium 14^{H}. 25′ $\frac{1}{3}$. Medium ubi perpendicularis ex centro vmbrae secat Lunam 15. 54′. 50″. Finis 17. 24′. 20″. at tu notâsti ex tuis placitis 17. 31. 3. differentia 7′. ferè quae notari poterunt optimè per horologium exquisitum minutiarum et tubum. In alia quoque re tibi molestus esse cogor; scilicet in locis planetarum ex Ephem. Magini 1576. vel Stadij ut melius dicam 13. Septembris früh vmb 8 vhr lat. 51°. 47′. long. 32°. 30′. pro aliqua Genesi.

132r

Magno gaudio hodie intellexi ex Catalogo nundinarum tuum librum Cometicum prodijsse Augustae; desidero quamprimum videre

illum pro suo pretio tamen. Imo et Ephemerin tuam non persolui et adhuc aliquid superest pro libro illo scilicet Epitome etc. quaeso promoueas residuum. Dominus Abbas promisit omnem operam et bonam voluntatem, cui etiam te pro doctrina et meritis tuis insigniter recommendaui. Fabricium audio esse interfectum à rusticis ante biennium, sic mihi retulerunt Bibliopolae; certè mihi displiceret, si verum esset. Fabricius longe dissidet à te in Calculo ♂ 1617. in ♀ ☉ ♂ quae juxta ipsum contingit 17. Feb. H. 8. P. M. in 29. 36′ ♍. atqui tu habes 29°. 20′. 40″. ipsi differentia calculorum 2°. 13′ in ♂, tibi 2°. 22′. Supplem. Ephem. Magini jam magno meo incommodo non est mihi ad manus aliâs facilè litem dirimerem: obseruaui et ipse Romae tunc ♂ et diametrum eius Collatione facta ad diam. ☽ et ad fixas. Sed effectus metrorum incepit biduo ante scilicet in ♀ ♂ ☉ Copernicaea quod mirum, credo propter ♀ ♂ ☿ et post exhausta erat tellus etc. paulò ante mortuus Maginus. Quaeso mihi significes quando tuae tabulae Rudolfinae sint proditurae; Miras quoque habes latitudines ☽ in obseruat. 1594. Tychonicis, non enim cohaerent cum Origani Calculo nouo, imò in gradibus ferè discrepant. Tempora sunt antemeridiana. Deest etiam latitudo 26. Decembris St. Veteri. Jam iterum tempus esset, ut obseruaretur stellarum motus, jam enim 50 anni ferè à Tychone elapsi sunt ut posset fieri Comparatio. Manegatta priuilegium obtinuit ne sui Calendarij alio excudantur, uti audio, mihi nil dictum fuit. Quid Snellius scripserit de Cometa libenter scirem. Jam in Italia mortuo Magino omnes silent. Benè Vale et quamprimum responde. Viennae ex habitatione Eckenbergeriana 11. Octobris 1619.

T. Eccell. officiosissimus seruus

Jo. Remus Quietanus

Randbemerkung Keplers zu Z. 15: Cum calculus meus exhibeat 1°. 4′. Et is tubo fidat de minuto. Oppono Galilaeum, Refractionesque ex Italicis. Dum dubitamus, liberane Luna sit, minuta tot abeunt.

856. FLORIAN CRUSIUS AN KEPLER IN LINZ

Rastenberg, 13. Oktober 1619

Wien, Nationalbibliothek, Cod. 10702, Bl. 330–331. Eigenhändig

330

S. P.

Diu est, vir Excellentissime, fautorum charissime, quod nihil ad te scripsj, non quod tui memoriam deposuerim, quae aeternas in animo meo radices egit, sed quòd alijs perturbatus negocijs, nihil quod

ad te scriberem habebam, et inanibus scriptitationibus gravissimas speculationes tuas turbare nolebam: sed jam tempus est ut rupto silentio caeteris me paulisper negocijs subtraham, et gratissimo tuo colloquio fruar. Amicus hic meus (· quem tuae quoque humanitatj commendo ·) Altorfium in munere Ecclesiastico confirmandus tendit; si quid habes, quod illic vel Norimbergae aut Ambergae tua causa expeditum vis, huic mandare poteris; et in reditu eius, si quid habes, quod me scire, aut mihi communicatum vis, eidem tradere poteris: inprimis verò oro ut per eum mihi caeteros Harmonicorum tuorum libros, praeter quartum, quos omnes integrè jam excusos esse spero, mittas: de solutione precij ne sis sollicitus quaeso, statim enim integrum tibi Ducatum dabo, si Comitatus non suffecerit. Ecquid Astronomiae tuae pars secunda agit? Jamne tandem è typographorum vinculis liberata est? quid causae est quod tam diu detinetur? Tractatus item tuus de Cometis quando prodibit? Si prodijt, fac quaeso ut videam ipsum. Calendarij et ephemeridum exemplar peto reserves pro me antequam distrahantur, et pro justo precio. Si aliquot praeterea exemplaria Calendarij tui miseris gratissimum facies multis qui in his oris tuum acumen admirantur. Dominus Phandlerus Ephemerides tuas mihi reddidit, dicit esse sublimiores quam pro captu suo; videbo ut alij cuidam docto pro justo precio, cui gratissimum fuerit, vendam: sed tamen ipsum quoque Phandlerum, ubi secundam Astronomiae tuae partem nactus fuerit, et si legerit eam, videritque tum ephemerides tuas ex usu ipsi futuras fuisse, poenitebit scio quod eas non retinuerit.

Utinam mihi tempus, commoditas et ocium juxta negocia caetera quibus quasi obrutus sum, suppeteret è tuorum Harmonicorum quarto libro caput duntaxat 1. 2. 3 et ultimum examinandj, miras, scio, videres speculationes, sed forsan alio id tempore praesertim cum totum Harmonicorum tuorum opus habuero fiet: jam velut in transcursu quaedam saltem innuere conabor. Omnium quae in toto Universo sunt rerum omnis existendj modus est vel harmonia vel ἀναρμοστία. Omne quod in mundo est, vel est Spiritus (· seu ut tu loqueris anima ·) vel materia. Loquor hic de substantijs, nihil de accidentibus: nam de his alia est speculatio. Spiritus movet, materia movetur: Spiritus agit, materia patitur; Spiritus est causa operans, materia est instrumentum operationis. Ex materia spirituum differentiae vel ex operationibus quae per materiam à spiritu fiunt, dignoscuntur, tanquam à Posteriorj. Conjugium itaque inseparabile spiritus et materiae in hac universitatis materiata machina. Nam nec materia sine spiritu tanquam causa sustentante constaret; nec spiritus sine materia terminis certis huius mundj cohiberetur. Diversi spiritus diversimodè materiam movent et disponunt.

Omnes spiritus omnem materiam ad Harmoniam inter se dirigunt secundum suam quisque harmoniae speciem et ideam à sapientissimi conditoris consilio ipsi impressam. Harmonia est plurium in materia quantitatum et qualitatum (· latissimè sumo vocem qualitatis ·) consensus et concordantia. Omnis consensus et concordantia ad unitatem tendit. Unitatem omnium rationum harmonicarum in materia consistere tanquam in archetypo impossibile. Ergò in spiritu. Is spiritus omnium harmoniarum et ἀναρμοστιῶν archetypum in se continebit quae per totum universum in rebus omnibus tanquam typi seu potius antitypi continentur. Item in spiritu quovis est archetypus (· sed alio modo dictus ·) harmoniae quae est in materia eius typicè et sensibiliter. Non datur naturalis spiritus in tota Naturae universitate, qui archetypum omnium harmoniarum habeat totius universi. Sola anima hominis (· non ipsius naturalis spiritus, qui communis est ei cum reliquis animalibus, sed anima qua bruta praecellit ·) omnium totius universi harmoniarum archetypum habet. Unde omnes harmonias cognoscit, quia omnium exemplar in se possidet. Hinc homo (· et non ut crassiores philosophi existimarunt propter corporis sui materiam, vel naturalis sui spiritus Ideam ·) microcosmus dicitur principaliter, licet et propter materiam ac spiritum naturalem quodammodo idem dici posset, sed longè inferiorj ratione. Anima omnes cognoscit et sentit harmonias vel à spiritu in materia harmoniam suam exhibente admonita, vel (· ut rectè Proclus à te allegatus ·) secundum incomprehensam suam facultatem ex principijs anticipatis omnis generis harmoniarum rationes eruens. Ad harmoniam requiritur certa terminorum ἡρμοσμένων coordinatio. Terminj vel sunt materiales vel spirituales sive ideales. Materiales à spiritualibus et secundum eorum ideas per spiritus archetypum materiae gerentes coordinantur. Absque hac coordinatione harmonica à spiritu eius harmoniae scientia praedito profecta, nulla res materiata, proptereaque nec immateriata consistere potest. At consistunt totius universi res omnes.: Ergò in Harmonia et per harmoniam. Consistunt autem totius universj res extra animam hominis. Ergò et harmoniae earum extra animam hominis consistunt. Cognoscuntur autem totius universj harmoniae ab anima hominis, non quia anima hominis in rebus sive terminis relationem sive harmoniam juxta archetypum suum comparando instituit et efficit (· quod tu asserere videris dum pugnas ad essentiam harmoniae constituendam necessariò requiri animam cognoscentem et percipientem harmoniam in rebus ·) sed quod harmoniam in rebus jam constitutam à proprio Ideali cuiusque rej et harmoniae fabricatore spiritu ac effectam invenit, cuius similem archetypum, seu potius typum cum in se ipsa possideat, ab illa externa rerum extra eam positarum harmonia proprij archetypi admonita

agnoscit eam et intelligit, archetypus enim eius ipsi congenitus et notissimus est per naturam. Hinc jam, subverso hoc tuo fundamento, sequitur: animam et spiritus quoslibet qui archetypos harmoniarum in rebus alijs existentium habent (· verbi gratia, spiritus inferiorum rerum harmonias superiorum etiam continent in se tanquam centro microcosmi proximi ·) non tantum quantitatum harmoniam sed etiam qualitatum in antitypis suis persentiscere, intelligere, ijsdemque ad hoc vel illud agendum incitarj: imò nisj ad harmoniam quantitatum etiam qualitatum ad certam operationem requisita congruentia accedat, nulla fit in inferioribus antitypica et superioribus consentiens operatio: verbi gratia, oppositio, conjunctio, quadratum etc. planetae cum fixa qualibet, nullam | in terris peculiarem mutationem operationum animae, sive spiritus terrenj adfert. At quae causa est cur △ ♂ et ♃ terram incommotam reliquit, Solesque reduxit, △ autem ☿ cum ♃ imbres et pluvias copiosas commovit? Juxta tuam rationem nulla diversitas esse debebat effectus, cum utrobique eadem quantitativa fuerit harmonia; nec sufficit ad coecam et ignotam terrae dispositionem (· quanquam et haec saepè multum possit, sed non sine praecedente qualitativae superiorum harmoniae instigatione ·) semper recurrere; certum enim est diversis planetis diversas convenire materiae qualitates, quas ex inferiorum observata correspondentia ad superiora colligere licet, ut tu quoque idem in Tertio Interveniente non † obscurè docuistj: quanquam illic praeter omnem rationem duas qualitates magnae, certè efficaciae siccitatem scilicet et frigiditatem è qualitatum numero, magno cum triumpho sedante victoriam ejeceris. Cum ergò doceas Harmoniam extra animam subsistere non posse, utpote quae ad praedicamentum relationis pertineat propterea quod sit harmonia omnis ordo quidam: relatio autem sine mente nihil est praeterquam relata, quae ipsa quoque non sint relata sine mente referente inter se terminos istos relationis: quaero ex te quam hic mentem intelligas? an animam hominis, an animam sive spiritum terrae caeterosque rerum sublunarium spiritus? certè ut ex toto hoc quarto libro colligo intelligis per mentem haec quae attuli omnia. Existimas igitur superiorem configurationem planetarum non esse harmoniam sine dictis mentibus: ergò non erunt in planetis spiritus archetypi motum et configurationem istam tam efficacem et harmonicam, dirigentes et ordinantes: ergò fortuitò ita planetae movebuntur et hos ordines, quos observamus efficaces, efficient: ergò primum spiritus sublunares harmoniam superioris materiae coordinationi introducent, aliàs manebit ἀνάρμοστος: ergò motus et coordinatio superiorum corporum carebit spiritu harmoniarum suarum scientia praedito, et sine spiritu moderante et sustentante materia seipsam agitabit, quod tamen contra materiae est conditionem, et sublunaria tan-

tum spiritum harmoniarum ideis et scientijs exornatum habebunt: haec ex tua assertione sequuntur: quibus verò momentis rationum tu talia astructurus sis videbo. Haec autem vera sunt, quod inferiores spiritus harmonias superiorum non perciperent, non sentirent, nisi archetypum vel potius typum harmoniarum superiorum omnium in se haberent, praesertim autem anima hominis: unde tamen nullo modo sequitur superiora carere suis spiritibus propriarum harmoniarum, secundum quas materias suas spiritus isti disponunt et esse faciunt (· nihil enim est sine tali coordinatione scientiosa, ut ita loquar, sive coordinatio ista sit harmonica propriè sive ἀνάρμοστος·) spiritibus inquam carere propriarum harmoniarum peritis: si ergò habent corpora superiora spiritus suos harmoniarum peritos, etiam ab istis secundum harmonias proprias disponentur, et propterea dispositio ista Harmonica dici poterit, etiamsi nullus esset infra spiritus qui harmoniarum istarum typum haberet, et per consequens, qui istas superiores harmonias persentisceret: esset tamen nihilominus superior spiritus qui dirigit, ordinat et scit harmoniam istam configurationis superiorum corporum. Vides ergò quam à scopo aberres dum dicis configurationes superiores planetarum non esse harmonicas dicendas, nec harmoniam in ipsis esse ullam sine anima contemplante et comparante et eo ipso quasi progignente harmoniam in superiorum terminorum configuratione: imò contrarium verum est, nullam ab anima sublunari harmoniam cognosci, persentiri, intelligi posse, nisi deprehenderetur et esset in superiorum configuratione antitypica harmonia, typo isti harmoniae in anima sublunarj correspondens. Necessaria ergò est ad essentiam harmoniae in materia anima sive spiritus non cognoscens harmoniam in alio, sed harmoniam materiae introducens, materiam harmonicè disponens et materiam harmonicè dispositam servans et dirigens secundum omnes harmoniarum sibi implantatarum ideas: necesse item ad essentiam harmoniae à materia abstractae sive ut tu appellas archetypicae anima non tantum cognoscens, sed possidens, non contemplans in alio, sed in se ipsa sciens et secundum eam materiam suam tanquam secundum archetypum disponens et ordinans: unde patet iterum animam sublunarium ad esse harmoniarum in configuratione et coordinatione corporum superiorum non requiri. Alia verò est quaestio, cum agitur de vi et efficacia harmonicarum configurationum in corporibus superioribus, quomodo scilicet eae agant in inferiora, et quid ad hanc operationem producendam requiratur: hic concedo non sufficere superiorum harmoniam, nisi accedat in sublunaribus superiori correspondens harmonia, quae esse abstractum habet in spiritu sublunarj, ex qua et cuius vi percipit superioris configurationis rationem, et ea ipsa ratione admonetur eius operationis in materiam

suam, quam istius harmoniae ratio requirit: Quantitativa enim harmonia rationem harmoniae qualitativae indicat.

Jam tempus est de harmonia qualitativa paucis etiam agere, quam tu vel nullam concedis vel aliquam negligis. Non enim, ut tu existimare videris, anima sublunaris quantitativa tantum harmonia ad agendum extimulatur, quid autem extimulata agere debeat ex fortuita materiae certo modo dispositae praesentia petit: sed simul qualitativas intelligit harmonias quibus quid in hac vel ista quantitatum dispositione agere debeat admonetur: item intelligit ordinem spirituum superiorum: intelligit quam qualitatum harmoniam hic vel iste spiritus in hoc vel isto superiorum corporum concinnet: intelligit differentias spirituum secundum rationes qualitativarum harmoniarum: unde novit, alias esse ideas qualitativarum harmoniarum in ♃^{e} alias in ♂^{te}, alias in ☿^{io} etc. hinc etiam scit, aliam operationis rationem esse in △ ♂ ♃, aliam in △ ☿ ♃, aliam in △ ♂ et ♀. Sic ordo et motus superiorum in operando regunt ordinem et motum operationis sublunarium, et inferiorum operationibus praesunt, ipsi quoque in sua regione non frustra operantes et qualitatum efficaces harmonias possidentes, quemadmodum inferiores spiritus qualitatum harmonias ad suos et varios usus possident efficaces. Quaeres quas ergò qualitatum rationes superiores spiritus possideant et in materiam suam introducant? Has ex inferioribus inferiorum spirituum operationibus disce, et ipse jam in Tertio Interveniente quanquam mutilatè, docuistj: quae enim te ratio coëgit tam firma et potens ut siccitatem et frigiditatem potentissimas qualitates è qualitatum numero ejeceris? experientia medica testatur quid caliditas et frigiditas in concitandis et item medendis morbis pugna sua efficere queat: affunde aquam frigidam candenti lapidi, et videbis num siccitas et frigiditas tantum sint privationes: habentne privationes hanc vim, ut positivas qualitates expellere queant, quod tamen facit frigiditas in naso, pedibus et genis imò saepe toto corpore per alpes diu in nivibus ambulantium? compone herbam summè calidam et siccam cum summè humida et frigida certa proportione et impone ulceri à causa biliosa profecto et videbis quid effecturus sis. Cur ebullit bilis in corpore humano affusa repentè frigida in nimia aquae ingurgitatione aestuante corpore universo? Cur rumpuntur vitra ferventia affusa aqua frigida? Et quaenam reliqua esset | contrarietas in rebus si hae duae qualitates catholicae omnium antipathiarum et sympathiarum una cum reliquis duabus causae è natura rerum positiva tollerentur? unde tuum medium et aequum prodiret, nisi esset harum quatuor qualitatum contemperatio? imò nullum in rerum natura daretur temperamentum. Vides quod argumenta quibus contra te pugno saltem innuam: tu ulterius perpende, et, si potes, everte ea. | 331

